ſit injuria lædens nomen, ac filiorum honorem, qualis eſt matris meretricium. Ergo tenetur potius filius meretricium hoc cavere: ſic enim magis proſpicit honori matris, & proprio; ac inter duo mala eſt minus eligendum, *c. Nervi, d.* 13. & ita docent *Tiraq. de jure primog. q.* 62. *n* 13. *& l.* 2. *connubiali, gloſſ.* 1. *p.* 2. *n.* 9. *Boer. Guillelm. Benedict. Novellus, Bart. Baeza n.* 49. *proxime allegat.* Et quamvis omnes hi ponderent matrem eſſe pulchram, & juvenem. At bene *Baeza eo. n.* 40. dicit idem eſſe, quamvis non ſit pulchra, exiſtente incontinentiæ periculo. Et idem credo velle reliquos, nam vere incontinentiæ periculum ſolum ponderant: exemplificant autem quando periculum hoc ſubſit, ut ſi mater ſit juvenis, & pulchra.

33 XI. Pœna eſt. Nequit mater tranſiens ad ſecundas nuptias revocare ratione ingratitudinis donationem factam filiis prioris matr. habetur expreſſe *l. His ſolis,* 7. *C. de revoc. donat. & auth. Quod mater, C. eo. tit. & §. Mater, auth. de nupt.* in quibus authenticis triplex excipitur caſus I. eſt, ſi filius vitæ matris inſidietur. II. ſi manus impias in eam intulerit. III. ſi totius ſubſtantiæ molitus ſit jacturam. Et ratio hujus pœnæ redditur, *d. auth. Mater,* quia potius contemplatione vitrici eam revocationem facere præſumetur, quam ob ingratitudinem. Hæc autem pœna non habet locum in patre tranſeunte ad ſecundum conjugium. Quia in illo non invenitur expreſſum: & quia non eſt veriſimile fore, ut ita facile animum mutet propter 2. uxorem, ſicut mater ob ſecundum virum. Sic *Gloſſ. de authent. Mater, verb. Niſi tamen, & d. auth. Quod mater, in fine.*

34 XII. Pœna juxta aliquos eſt, ut quamvis in bonis mariti prioris habeat vidua tacitam hypothecam pro dote ſibi reſtituenda, juſque prælationis, *l. Aſſiduis, ff. qui potiores in pignore:* at ſi migret ad ſecundas nuptias, ceſſat hoc privilegium. Quod id conceſſum ſit, ut facilius femina in matr. collocetur, juxta *l.* 1. *cum ibi notatis, ff ſolut. matr.* Quæ ratio jam ceſſat, cum nupſerit. Et ita tenent aliqui quos tacito nomine refert *Garronis ſtatim allegand.* Ceterum tenendum eſt oppoſitum. Quod dos ſit neceſſaria, non tantum ut femina in matrimonium collocetur, ſed etiam ad matr. initi onera ſuſtinenda, *l. Pro oneribus, C. de jure dotium,* quæ ratio non ceſſat ubi femina nupſit. Et ita docent *Bart. l. Nupta, in princ. n.* 2. *citans Jacobum de Aret. ff. ſolut. matr. Bald l.* 2. *fin. ff. de jure dotium. Alex. l.* 1. *n.* 4. *ff. ſolut. matr. Angel. Inſtit. de actionib. §. Fuerat, n.* 16. *& ibi Jaſon n.* 96. *Garronis rubr. C. de ſecund. nupt. in* 2. *edit. n.* 52 *pœna* 26.

35 XIII. Pęna eſt. Pater rogatus ab avo reſtituere hæreditatem filiis, tenetur ſatiſdare de ea reſtituenda, ſi 2. uxorem ducat, *l. Jubemus, §. In ſupradictis, C. ad Treb. & auth. de nupt. §. Placet,* & docet *Matienzo l.* 5. *recopil. tit. l.* 3 *gloſſ* 2. *n.* 12. & quamvis non teneatur alias cautionem præſtare de bono uſu adventitiorum, quorum habet uſumfructum, at in hoc caſu quo tranſit ad ſecundas nuptias, tenetur *l. Hac edictali, §. His illud, C. de ſecund. nupt.* & optime *Pinell. l.* 1. *p.* 2. *n.* 31. *&* 75. *C. de bonis matern. Matienzo ea. gloſſ. n.* 16.

36 XIV. Pęna eſt. Quamvis mater bona filii adminiſtrans non teneatur de modicis rationem reddere. *l. Quamvis, ff. de cond. & demonſtr.* at ſi ſecundo nubat, tenetur *auth. de nupt. §. Sin autem tutelam,* & ratio eſt, quod jus præſumat malam fidem in hac matre ob vitrici amorem. Ita docent *Bald. l. Cum oportet, §. fin.* 4. *C. de bonis, quæ liberis. Paulus ibi, §. ſi. in ſi. Matienzo l.* 5. *recop. t.* 1 *l.* 3. *gl.* 2. *n.* 40. Quod procedit, licet a viro relicta ſit tutrix filiorum, & a reddendis rationibus relevetur, ut bene docet *Garronis rubr. C. de ſecund. nupt. in* 2. *edit. n.* 75 *pęna* 39.

37 Tandem dubitatur, an valeat pœna ſub qua conjuges ſe obligant ad abſtinendum ab alio conjugio poſt illud diſſolutum? Qua in re præmittendum eſt, pœnam, qua ſe obligant ſponſi ad non reſiliendum a ſponſalibus, nullius eſſe momenti, propter matrimonii libertatem (ut tale diximus lib. 1. diſp. 30. & ſeq.) Quod procedit quamvis perſona aliqua fidem det alteri de matr. ineundo, vovens ſe ingreſſurum religionem, aut caſtitatem ſervaturum, aut quippiam aliud facturum, ſi non ſtet promiſſis: id enim votum minime obligabit, quamvis juramento id firmetur (ut de pœna juramento firmata ibidem diximus.) Quamvis enim *cap. Gemma, de ſponſ.* ubi pœna ſponſalibus appoſita irritatur, agat de pœna temporali: ſic enim caſus eſt propoſitus Pontifici: at ratio ibi in textu reddita, *Cum itaque matr. libera eſſe debeant,* æque procedit in omnibus pęnis etiam ſpiritualibus. Non enim minus timor caſtitatis ſervandæ, aut religionem ingrediendi impediret libertatem matr. eo vel maxime, quod modica pęna etiam ibi caſſatur (ut illic probavimus.) Præterea, quia textus *eod. c. Gemma,* reddita ratione libertatis matrimonii, ſtatim ſubjicit, *Et ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit merito improbanda:* quod idem procedit in quavis alia ſtipulatione pęnali cujuſcumque rei, utpote, quæ libertatem in matr. contrahendo deſideratam aufert. Et re hac cum viris ſapientibus, quos conſului, tractata approbarunt illi hanc meam ſent. atque ita bis conſultus reſpondi. At principalis difficultas eſt, an valeat contractus jurejurando firmatus, quo in contractu matrimonii conjuges ſub certa pęna ſe obligant ad abſtinendum a poſterioribus nuptiis, prioribus illis diſſolutis? videtur enim id pactum non valere, per *d. c. Gemma,* ubi ſtipulatio pęnalis rejicitur ob matrimonii libertatem, & *l. Titia, ff. de verb. oblig.* idem deciditur, & per *l. Quoties,* 22. *ff. de cond. & demonſt.* ubi conditiones, ſi non nupſerint aliqui, rejiciuntur, & per *l. Adigere,* 6. *ff. de jurepatronat. in ſi.* ibi: *Lege Julia de maritandis ordinibus remittitur jusjurandum, quod liberto in hoc impoſitum eſt, ne uxorem duceret, libertæ bene nuberet, ſi modo nuptias contrahere recte velint.* Ubi *Gloſſ. verb. Remittitur,* ait hæc, *Nota legem vim Apoſtolicam retinere, ut remittat juramentum.* Et ſtatim quærit, quid ſi aliquis ſponte jurarit, aut voverit caſtitatem, aut abſtinentiam a conjugio ineundo, num poſſit matrimonium contrahere? Et non reſpondet. At *Alberic. auth. Cui relictum, n.* 2. *C. de indicta viduit.* mota priori quæſtione, de pacto jurato abſtinendi ab aliis nuptiis, ait poſſe dici id pactum non valere in virgine, ſecus in vidua: in qua conditio non nubendi minime rejicitur, *per illam authent.* & ait idem eſſe ſive in ultima voluntate, ſive in contractibus apponatur virgini conditio non nubendi. Unde concludit poſſe illos abſque perjurii metu, & pęnæ, jure civili contrahere: at forte attento jure canon. non poſſe contravenire abſque juramenti relaxatione. Et *deciſ. Tholoſ.* 292. *item fuit quæſitum, per totam,* ait pęnam nec juramentum obligare: quia eſt contra bonos mores. Idem ſequitur *Garronis rubr. C. de ſecund. nupt. in nova edit. col. ult. totius rubr. num.* 145. ubi ait prædictam deciſionem idem velle de jure canonico. Et ſubdunt *d. deciſ. Tholoſ. & Garronis eo. loco,* id etiam procedere in vidua, nec obſtare *d. auth. Cui relictum,* ubi in vidua admittitur conditio, ſi non nubat. Quia id verum eſt, ne vidua admittatur ad relictum ſub ea conditione ſibi factum, & ſic ad lucrum, ſed non ut incidat in pęnam, & perjurium, contraveniens pacto, vel conditioni abſtinendi a ſecundis nuptiis. Sed fateor magnam eſſe horum DD. auctoritatem: non poſſum tamen abduci, ut iis fidem habeam. Quia *c. Gemma, & l. Titia,* quibus hi DD. innituntur, ſolum decidunt non valere pęnam, qua quis ſe obligat ad matr. ineundum, ne in eo contrahendo libertas deſiderata metu pęnæ deficiat. Quippe matrim. coacta difficiles ſolent exitus habere, *cap. Requiſ. de ſponſ.* At hic agitur de abſtinendo a ſecundis nuptiis, in quo eventu nullus eſt textus, qui faveat libertati talis matr. ineundi: imo conditio ab illis abſtinendi valida eſt, ac jure civili admittitur, *auth. Cui relictum, C. de indicta viduit.* Et quamvis in primis nuptiis rejiciatur a legato conditio illas non contrahendi, favore prolis: at juramentum vel votum ſub certa pęna valent jure canon. alias votum caſtitatis non valeret in virgine.

S U M M A R I U M.

An pœnæ ſtatutæ ſecundo nubentibus in favorem filiorum, ſint correctæ jure canon. Refertur quædam ſententia, n. 38.
Proponitur ſententia Auctoris, 39.
Non corrigitur pœna, ut ſecundo nubens teneatur reſervare filiis prioris matrimonii bona habita a conjuge defuncto: nec ut queat dare marito pluſquam uni ex filiis, 40.
Non corrigitur, ut ea mater perdat tutelam, nec pœnæ, quas incurrit ob non petitum tutorem, corriguntur, 41.
An corrigatur, matrem ſecundo nubentem privari educatione filiorum, & non poſſe exemplariter ſubſtituere: & excludi per tacitam pupillarem? 42.
An ſit correctum, ut femina ſecundo nubens perdat privilegia honoris mariti: & ne filii teneantur eam dotare: & ne poſſit revocare donationem ratione ingratitudinis: & ut teneatur pater ſatisdare, & ut mater teneatur rationem de modicis reddere? 43.
Satisfit argumentis, 44.

Quæſtio poſterior. An prædictæ pęnæ, in favorem filiorum prioris matr. ſtatutæ, ſint correctæ jure can. Quidam affirmantem partem tuentur. Quia *c. fin. de ſecund. nupt.* aſſeritur mulierem habere liberam facultatem ſecundo nubendi. At non poteſt dici libera facultas, ubi adeſt metus pęnæ, *cap. Gemma, de ſponſ.* Secundo, quia favor filiorum non debet anſam dare auferendæ libertatis a Deo conceſſæ tranſeundi ad ſecundas nuptias, & negari non poteſt metu earum pœnarum auferri. Et confirm. quia aliquæ pęnæ infra annum luctus ſtatutæ concernunt favorem filiorum, ut medietatem bonorum eſſe illis reſervandam. Et tamen omnes eſſe correctas jure canon. probavimus diſput. præceden. Tertio, quia lex civilis caret poteſtate pęnas indicendi matrimon. libertatem impedientes. Hanc ſent. ſuſtinet *Abb. cap. Eccl. num.* 15. *& in repetit. ejuſdem cap. num.* 20. *de conſtit.* quamvis *cap. fin. num.* 3. *de ſecund. nupt.* non ita audacter, ſolum enim dicit ſe illam defenſurum, niſi audax notaretur. Eamdem tenet *Felinus d. cap. Eccleſ. num.* 56. *in* 1. *declar. & Decius ibi, num.* 125. *verſ. In puncto juris, in nova edit.* dicit in puncto juris eſſe veriorem, & *ibi Franciſcus Aret. ad fin.* ait de juris ſubtilitate poſſe defendi tanquam meliorem: quamvis in judicando minime ſit a contraria recedendum, & *Præpoſ. d. cap. fin. n.* 3. *col. penult. verſ. Et ex his infero,* ait ſe in diſputationibus hanc defenſurum opinionem, at in judiciis non auſurum. *Ripa l. fin. quæſt.* 26. *n.* 98. *Cod. de revoc. donat.* dicit facile poſſe defendi, & *Minchaca de ſucceſſ. progreſſu, l.* 3. *§.* 27. *n.* 26. dicit omnes pęnas, *l.* 1. *& toto tit. C. de ſecund. nupt.* eſſe hodie jure can. ſublatas, & hanc eſſe communem ſententiam: in quo titulo omnes pęnæ prædictæ continentur, ut conſtat ex dictis in tota hac diſputatione. 38

At tenenda eſt communis fere omnium ſententia, aſſerens 39 pęnas

pœnas jure civili inductas ſecundis nuptiis poſt annum initis, utpote quæ in filiorum favorem ſunt, minime eſſe correctas jure canonico atque ita hodie in utroque foro ſervandas eſſe. Quia pœnæ poſt annum luctus ſtatutæ non ſunt mere pęnæ, ſed filiorum proviſio, ad quas ſtatuendas juſtiſſima ratione jus civile ductum eſt: attendit enim ſæpiſſime evenire, ut parentes poſt tranſitum ad 2. nuptias, amore poſterioris conjugis allecti, filios prioris conjugii odio proſequantur: atque adeo illos, in quantum poſſunt, velint bonis privare; ut ea omnia poſteriori conjugi relinquant. Deinde, quia non ut pęnæ ſunt indictæ, ſed quia æquitati naturali conſonat, ut bona laboribus prioris conjugis quæſita non cedant in vitrici, aut ejus filiorum utilitatem, exiſtentibus filiis ex priori conjugio habitis. Tandem, quia aliud eſt pœnam pati, & aliud, ad lucrum ex mariti bonis proveniens ſub ea conditione delatum, ut ſi ad ſecundas tranſeat nuptias, amittat proprietatem, & reſervetur filiis prioris matr. invitari. Pęna enim qua ſecundæ nuptiæ interdicuntur, rejicitur. At nullibi habetur in jure canonico, lucrum illud ex bonis mariti ſub ea conditione alteri conjugi ſuperſtiti lege delatum, plene acquiri, non ſervata conditione abſtinendi a ſecundis nuptiis. Et ideo hanc ſent. tenent *gloſ.* 1. *l.* 1. *v. Honorarias, C. de ſecund. nupt. & ibi Cynus ſi. Bart. ſi. Bald. n.* 8. *Alber. ſi. Salic. ſi. Idem Bart. auth. de nuptiis, collat.* 4. *§. Prima ſi quidem, n.* 3. *Addit. ad gloſſ l. Decreto,* 19. *verb. Contrahere, c. Ex quib. cauſis infamia irrogetur, & ibi Bald. ſi. & l. Liberior, §. Et ſi talis, n.* 3. *ff. de his, qui notant. infam. Innoc. c. ſi. in ſi. de ſecund. nupt. Hoſt. ibi n.* 3. *Jo. Andr. n.* 5. *Ant. n.* 2. *Gardin. n.* 1. *q.* 1. *Anchar. n.* 9. *q.* 2. *& n.* 10. *q.* 3. *ſi Alex. de Nevo n.* 14. *Henr. n. ult. idem Ant. c.* 1. *n.* 12. *de ſponſal. idem Anch. repetit. c. Canonum, n.* 55. *verſ. Juxta prædicta accedat, de conſt. & conſ.* 17. *ex prædicto themate, in princ. Dominic. c. Placuit, col.* 2. *d.* 32. *Angel. de Peruſio auth. de non eligendo ſecundo nubentes, in princ. n.* 6. *& repetitione l. Mater, n.* 4. *& l. Si qua mulier, n. un. C. ad Tertull.* ubi & *Corneus n.* 1. *& d. l. Mater, n.* 2. *& conſ.* 125. *n.* 3. *l.* 3. *Ripa rubr. C. de ſec. nupt. in fin. & l. ſi. q.* 26. *n.* 98. *C. de revoc. donat. Decius rubr. C. de ſec. nupt. n.* 6. *Guillel. Benedict. c. Raynutius, verb. Et uxorem, deciſ.* 5. ubi de ſucceſſ. ab inteſtato, *n.* 90. *Alexand. conſ.* 3. *n.* 12. *l.* 7. *& ibi Molinæus in addit. lit. C. Matth. de Afflictis deciſ. Neapol.* 75. *n.* 5. *Roman. conſ.* 182. *n.* 1. *Pariſius conſ.* 29. *n.* 8. *vol.* 3. *Nicol. de Ubaldis de ſucceſſ. ab inteſtato, p.* 2. *n.* 8. *Bolognin. addit. ad Matth. de ſucceſſ. ab inteſtato, a.* 2. *principali, membr.* 1. *n.* 31. *& additionib. ad conſ.* 72. *Ananiæ in ſi. Sylv. nuptialis lib.* 2. *verb. Diviti non eſt nubendum, n.* 78. *Boerius deciſione* 186. *n.* 2. *Garronis l.* 1. *n.* 133. *in nova edit. & auth. Eiſdem pœnis, n.* 11. *C. de ſecund. nupt. Jo. Lupus lib.* 15. *Tauri, n.* 6. *Brunel de ſponſal. concl.* 19. *n.* 6. *Nicol. Arelat. in ſuis reſponſis, reſp.* 1. *nu.* 3. *Rebuff.* 1. *to. conſtitut. tit. de conſtitut. in proœmio, gl.* 5. *n.* 66. *Montalv.* 3. *fori, t.* 1. *l.* 13. *verb. Pierda, Ant. de Roſellis de ſucceſſ. ab inteſtato, n.* 194. (habetur to. 8. tr. p. 1.) *Cov.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 3. *§.* 9. *nu.* 5. *Greg. Lop. l.* 3. *ver. Faſta un. anno, t.* 12. *p.* 4. *Villalobos in communib. opin. lit. B. n.* 29. *Acoſta c. Si pater* 1. *p. verb. Legavit, n.* 34. *de teſtam. in* 6. *Tello l.* 6. *Tauri, n.* 19. *Sarmiento lib.* 1. *ſelect. c.* 4. *nu.* 4. *Ant. Gabriel to.* 3 *commun. opin. l.* 3. *t. de ſecund. nupt. concl.* 6. *n.* 1. *Ant. Cucus lib.* 5. *inſtit. majorum t.* 12. *n.* 187 *Valaſcus conſ.* 16. *n.* 3. *vol.* 1. *Gutier. l. Nemo poteſt, n.* 20. *ff. de legat.* 2. *& lib.* 2. *pract. q.* 95. *n.* 5. *Celſus conſ.* 38. *n.* 7. *Matienzo lib.* 5. *recop t.* 1. *l.* 3. *gl.* 2. *n.* 1. *& n.* 44. *& t.* 9. *l.* 5 *gl.* 8. *n.* 5. *Perez lib.* 5. *ordin. t.* 1. *l. ſi f.* 53. *verſ. Eſt tamen inquirendum Azebedo lib.* 5. *recop. t.* 1. *l.* 3. *n.* 1. *&* 2. *Lancel. Inſtit. juris canon. l.* 2. *t. de divortiis, §. ult. verb. Abolita. Spino ſpeculo teſtam gloſſ.* 14. *principal. n.* 100. *Fulvius Papian. de probationib. l.* 2. *c.* 3. *n.* 80. *Zavallos in ſuis q. pr. q.* 742. *n.* 5. & ex Theologis, *P. Molina to.* 2. *de juſt. tr.* 2. *diſp.* 431. *col.* 8. *Lud. Lopez* 2. *p. inſtruct.* ubi de matr. *c.* 41 *col.* 3.

40 Hinc infertur 1. non eſſe correctam 2. pœnam, num. 2. relatam ut conjux tranſiens ad ſecundas nuptias amittat proprietatem bonorum, quæ a defuncto conjuge habuit, & reſervetur filiis prioris matr. Quod fatentur omnes DD. num. præced. relati, quod ſit in filiorum favorem inducta. Nec corrigitur 2. pœna relata num. 3. ne poſſit mater illa dare ſecundo viro pluſquam uni ex filiis prioris matr. cui minus dedit. Quia ſimiliter eſt in favorem filiorum ſtatuta. Sic *Covar.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 3. *§.* 9. *n.* 8. *Matienzo lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *l.* 2. *gloſſa* 2. *n.* 6.

41 Secundo infertur, nec eſſe correctam 3. pęnam relatam n. 4. nimirum, ut mater ſecundo nubens amittat tutelam. Quia id ſtatutum eſt, ut indemnitati filiorum conſulatur, atque evitetur bonorum diſſipatio, quæ ſubſequenda præſumitur ex ſecundis matris nuptiis. Sic *Matienzo ead gloſſ.* 2. *n.* 9. *Azebedo lib.* 5. *recop. tit.* 1. *l.* 3. *n.* 5. *Spino ſpeculo teſtam. gloſſ.* 14 *nu.* 102. & aperte ſentiunt *DD. ſtatim allegandi.* Si enim non perderet tutelam, non opus eſſet, ut tutorem alium peteret, cum tamen dicant incurrere omnes pœnas, quas n. 13. retulimus, ſi non petito tutore, ac reddita adminiſtrationis ratione, ad ſecundas nuptias tranſeat: nec hoc eſſe correctum jure canonico. Hi ſunt *Innoc. cap. ſi. in fin. de ſec. nupt. & ibi Ant. n.* 2. *Abbas n.* 3. *in ſi. Anch. n.* 9. *q.* 2. *& repetit. c. Canonum, n.* 55. *de conſtit. Idem Abb. c. Eccleſia, n.* 15. *de conſt. & repetit. ejuſd c. n.* 20. *& ibi Felinus, n* 56. *in* 1. *declar. Idem Hoſt. eod. c. ſi. n.* 3. *Jo. Andr. ibi n.* 5. *Card. num.* 1. *qu.* 1. *ſi. Barth. auth. de nupt. collat.* 4. *§. Sin autem tutelam, nu.* 2. *& auth. Eiſdem pœnis, n. un. C. de ſecund. nupt. & ibi Cynus ſi. Alberic. nu. unico, Bald. l. Si qua mulier, in ſi. Cod. ad Tertull. Angel. auth. de non elig. ſecundo nuben. in princ. n.* 9. *& auth. de reſtit. & ea, quæ parit, §. Unum, n.* 6. *Garronis rubr. C. de ſec. nupt. in nova edit. nu.* 24. *pęna* 12. *ſi. & d. auth. Eiſdem pęnis n.* 7. *Alex. de Nevo, d. c. ſi. n.* 17. *Nicol. Arelat. in ſuis reſponſis, reſp.* 1. *num.* 2. *Ant. de Roſellis de ſucceſſ. ab inteſtato, num.* 195. *Montalvus l.* 3. *fori, t.* 1. *l.* 13. *verb. Pierda Covar.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 3. *§.* 9. *n.* 6. *Ant. Cucus l.* 5. *inſtit. majorum, tit.* 12. *n.* 188. *Ant. Gabr. to.* 13. *comm. opin. l.* 3. *tit. de ſecundis nuptiis, concl.* 9. *n.* 2. *Perez lib.* 5. *ordin. tit.* 1. *l. ſi f.* 54. *verſ. Deducitur etiam. Fulvius Pacian. l.* 2. *de probationib. c.* 3. *n.* 81. *& Lud. Lop. in* 2. *p. inſtr.* ubi de matr. *c.* 41. *col.* 3. Et ratio eſt quia non punitur femina illa eo, quod ſecundo nupſerit, ſed quod male adminiſtrarit filiorum bona, non petito eis tutore, nec redditis rationibus, ut tenebatur.

Tertio infertur, nec corrigi jure canonico 6. pęnam, n. 16. 42
relatam, ut mater ſecundo nubens privetur filii pupilli educatione, ut bene docet *Matienzo l.* 5. *recop. tit.* 1. *l.* 3. *gl.* 2. *n.* 8. nec ſeptimam, nempe, ut non poſſit exemplariter ſubſtituere: ſi ſuſtineamus eam pœnam vere incurri, cum DD. n 22. allegatis: nec ut excludatur per tacitam pupillarem: ſi verum eſt eam excludi, ut ſuſtinent quos retuli nu. 27. Quippe omnes hæ pęnæ ſunt principaliter in filiorum favorem ſtatutæ, & colligitur ex DD. ibidem citatis. Si enim eæ pęnæ correctæ eſſent, non affirmarent matrem illis ſubjici.

Ultimo infertur, nec 9. pęnam relatam n. 31. corrigi, nempe, 43
ut perdat privilegia, & honorem mariti, quod non proprie pœna dici poſſit, ſed ex actus natura conſurgat, eo quod per ſecundas nuptias ceſſet omnino ratio hujus conceſſionis (ut probavi n. 31.) ſic *Garronis rub. C. de ſec. nupt. in nova edit. remedio* 4. *contra ſecundo nubentes, n.* 125. *Matien. lib.* 5. *recop. t.* 1. *l.* 3. *gl.* 2. *n.* 5. *& t.* 9. *l.* 6. *gl.* 2. *in ſi. Spino ſpeculo teſtam. gl.* 14. *num.* 101. 102. Nec corrigitur etiam 10. pęna relata n. 32. ut filii non teneantur matrem ſecundo nubentem dotare. Quod colligitur ex DD. ibi allegatis, non enim eam affirmarent, ſi correcta eſſet. Et ratio eſt, quia non eſt proprie pęna, ſed non compelli filios arma ad ſuum dedecus miniſtrare. Nec 11. relata n. 33. ne poſſit revocare donationem cauſa ingratitudinis, quod ſit in favorem filiorum priorum, ne potius mater revocet contemplatione vitrici. Sic *Matienzo ea l.* 3. *gl* 2. *n.* 7. Nec tandem corriguntur pœnæ 13. & 14. relatæ nu. 35. & 36. ut pater teneatur ſatisdare, & mater rationem reddere de modicis. Quod utraque ſimiliter ſit in filiorum favorem. Et colligitur ex DD. ibidem allegatis illas aſſerentibus, nullamque correctionis mentionem facientibus.

Ad arg. n. 38. relata conſtat ad 1. 2. & 3. ex ratione ultima 44
meæ ſent. 39. adducta. Non enim omnis pęna auferens aliqualiter libertatem matrimonii eſt jure canon. reprobata: ſed quæ conſiſtit in proprio matr. perdendo, ſecus de ea, quæ potius conſiſtit in lucro non acquirendo, vel eo ſub conditione acquiſito perdendo. Ad confirm. ſecundi dic eam pęnam non impoſitam eſſe principaliter ad favendum filiis, ſed ad puniendam nuptiarum intra annum luctus accelerationem.

D I S P U T A T I O LXXXIX.

Qualiter conjux ad ſecundas nuptias tranſiens teneatur reſervare filiis prioris matrimonii bona conjuge defuncto habita?

S U M M A R I U M.

Quot ſunt quæſtiones diſputandæ, num. 1.
Mater anno luctus, vel poſt, ſecundo nubens, amittit etiam in foro conſcientiæ proprietatem bonorum, quæ a viro habuit, etiam ex filii ſucceſſione, uſufructu ſibi reſervato, & illa transfertur ad filios priores, hunc tamen non reſervat illis, 2.
An poſſit in aliqua parte horum bonorum aliquem illis ex filiis præferre: & ſit hoc jure Regni correctum, 3.
An in bonis, quæ ex ſucceſſione filii ab inteſtato habuit, poſſit aliquem ex illis præferre, 4.
Si prætulit aliquem ex filiis in tertio, inſtituens virum hæredem quinti, qualiter ſuccedet hic filius cum aliis fratribus in illo quinto, 5.
An poſſit de proprietate illa, quam tenetur reſervare prioribus filiis diſponere: & filiis cavere de ea reſtituenda, 6.
An parente alienante, poſſint filii eo ſuperſtite, aut defuncto revocare, 7.
An ſi parens non diſtraxit, ſed conſumpſit, teneantur hæredes ad æſtimationem, 8.
Quot conditiones deſiderantur, ut huic reſervationi locus ſit, 9.
An pater ſecundo conjugatus teneatur ad eamdem reſervationem, 10.
An teneatur illis reſervare uſumfructum, quem in bonis ipſorum maternis acquirit; & an uſusfructus, quem utervis retinet parens in bonis, quæ tenetur reſervare filiis prioribus, extinguatur filio emancipato, 11.
An avi, & alii aſcendentes teneantur ad hanc reſervationem deſcendentibus, 12.
Quid, ſi poſterius matrim. conſummatum non ſit, aut ſit irritum, 13.
An legatum a conjuge defuncto relictum reſervetur filiis prioris matrimonii, 14.
An teneatur mater reſervare, quæ habuit ex ſubſtitutione pupillari filii, 15.
Quid, quando ex teſtamento, vel donatione conjugis defuncti habuit aliquid ſuperſtes non ex bonis ipſius defuncti, ut ſi quis det viro facultatem teſtandi, vel diſtribuendi, & vir det, aut leget uxori? Et quid, ſi tunc det uxori committentis facultatem, & illa ſecundo nubat, 16.

Quid de bonis conjugi acquiſitis contemplatione alterius conjugis, 17.
Quid, ſi ſuccedat ab inteſtato in bonis filii, quæ habuit a parente defuncto, ſive tranſeat ad ſecundas nuptias ante filii mortem, ſive poſt, 18.
Quid, in legitima parenti ſuperſtiti debita in bonis illius filii, 19.
Quid, quando vir, & uxor ex bonis communibus filiam dotant, 20.
Quid de bonis, quæ ex renuntiatione filii parens habuit: vel quia femina a ſucceſſione excluditur, 21.
An parens ſecundo conjugatus ſuccedens poſtea filio, ſuccedat plene illi in proprietate bonorum, quam amiſerat per ſecundas nuptias, & erat illius filii: an potius ea ceteris fratribus reſervetur, 22.
Quid de bonis, quæ ex ſubſtantia avi pervenere ad filium, 23.
Quid de bonis aliunde filio acquiſitis, ſive parens ſuperſtite filio, ſive eo mortuo, ſecundis nuptiis copuletur, 24.
Quid, ſi filii non ſint hæredes, quod renunciarint, ſintve incapaces, ingrative, 25.
Quid, de acquiſitis titulo oneroſo, an ſint prioribus filiis reſervanda, 26.
Quid de arrhis, ſponſalitia largitate, donatione remuneratoria, lecto quotidiano, veſtibus vidualibus, 27.
An parens ſuccedens filio in bonis, quæ ille habuit titulo oneroſo a conjuge defuncto, teneatur ea reſervare filiis prioribus, 28.
An lucra acquiſita conſtante matrimonio, ſive lege, ſive conſuetudine communia ſint, reſerventur filiis prioris matrimonii, 29.
Quid, de bonis, quæ conjux ſuperſtes lucratur ex patrimonio defuncti, ita diſponente ſtatuto, conſuetudine? Refertur opinio, 30.
Explicatur ſententia Auctoris, 31.
Quid, de eo quod conjux lucratur ex pacto inter ipſos inito, ut ſuperſtes acquirat, 32.
Quid, de quarta debita conjugi ſuperſtiti ex bonis defuncti? Et remiſſive, an extrahenda ſit de quinto, ac debeatur ſuperſtite habente patrem divitem, 33.
An reſervationi ſit locus, quando ex priori matrim. non ſunt filii ſuſcepti, at defunctus ex alio matrimonio filios habuerat, 34.
An ſi filii prioris matrimonii obierint, ſuccedat parens ſecundo conjugatus plene quoad proprietatem, & uſumfructum? Refertur duplex ſententia, nu. 35. *&* 36.
Proponitur ſent. Auctoris: & quid dicendum extantibus tunc nepotibus, 37.
An non extantibus filiis prioris matrimonii, remittantur pœnæ non in ipſum favorem inductæ, 38.
An filio prioris conjugii diſponente de tertia bonorum parte in parentis præjudicium ſit illa extrahenda de ſolis bonis omnino filii propriis: an etiam de proprietate bonorum, quam conſecutus eſt parente tranſeunte ad ſecundas nuptias, 39.
An ſi parens privatus proprietate ob ſecundas nuptias retento uſufructu moriatur fructibus eorum bonorum pendentibus, pertineant uſufructus ad filios prioris matrim. quorum erat proprietas, 40.
Poſt num. 40. *invenies ſummaria, quæ deſiderantur.*

1 DUplex eſt quæſtio diſputanda. Prior de conditionibus petitis, ut conjux ad ſecundas nuptias tranſiens teneatur reſervare bona filiis prioris matrimonii. Poſterior de caſibus, in quibus ab hac obligatione abſolvitur.

2 Quæſtio prior. Quæ conditiones deſiderentur, ut conjux tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur bona reſervare filiis prioris matrimonii? Præmittendum eſt, uxorem aliquid quocumque titulo lucrativo a marito accipientem, ſive ex donatione inter vivos, ſive ex ultima voluntate, teneri tranſeundo ad ſecundas nuptias, id totum integre reſervare filiis prioris matr. ut expreſſe deciditur *l. Femina, in princ. C. de ſec. nupt.* ibi: *Feminæ quæ ſuſceptis ex priori matrimonio filiis, ad ſecundas poſt luctus tempus ſtatutum tranſierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium jure, quicquid etiam nuptiarum ſolemnitate perceperint, aut quicquid mortis cauſa donationibus factis, aut teſtamento jure directo, aut ſi fideicommiſſi, aut legati titulo, vel cujuslibet munificæ libertatis præmio ex bonis priorum maritorum fuerint aſſecutæ, id totum ita ut perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedenti conjugio habuerint, tranſmittant.* Idem habetur *l. Hac edictali, §. His illud, C. eo tit. & l. 2. C. de indicta viduit. & l. Mater C. ad Tert. & auth. de nuptiis, §. Si vero expectet, collat.* 4. & concordat *l. reg. 26. tit. 13. p. 5.* & privatur ſtatim ipſo jure dominico omnium lucrorum, quæ a conjuge de facto perceperat, applicaturque communibus liberis retento ſibi dum vixerit, ſolo uſufructu. Sic habetur *l. Generaliter, in princ. C. de ſecundis nuptiis*, ibi: *Dominium autem rerum, quæ liberis per hujus legis, vel præteritarum conſtitutionum auctoritatem ſervantur, ad liberos pertinere decernimus: itaque defuncto eo, qui liberis ſervabat, extantes ab omni poſſeſſore, liberi vendicabunt.* Nam verbum, *Vendicabunt*, dominium ſupponit, & eo non habito non datur vendicatio, *l. In rem. ff. de rei vendi.* Et paulo inferius: *Adminiſtrare patri utiliter concedimus.* Si ergo ſola adminiſtratio parentis conceditur, dominium jam erat filiorum. Et clarius *auth. de nupt. §. Si vero expectet, collat.* 4. ibi: *Omnis eam deſerit proprietatis modus in iis, quæ a priori viro in eam venerunt, & filii ea percipient, & proprietatis erunt domini, mox quo mater conjuncta eſt alii viro.* Idem habetur, *d. l. Feminæ in princ.* ibi; *Poſſidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ.* Et *auth. Ex teſtam. C. eo tit.* ibi: *Eorum ſolum uſumfructum percipiet*, & *auth. In donatione, C. eo tit.* ibi: *Deſerit eam proprietas.* Quod procedit, quamvis ea bona mariti ad uxorem pervenerint, ex *ſucceſſione* filii; quia, nimirum, filius in illis ſucceſſit patri, & filio defuncto ſucceſſit in eiſdem mater (ut nu. 18. latius dicemus.) Quod ſi opponas, dominia rerum non transferri, niſi ſecuta traditione, *l. Traditionibus, C. de pactis.* Reſpondet *Nicol. Arelatanus, l. Generaliter, n. 99. in nova edit. C. de ſec. nupt.* poſſe legem alicui auferre dominium rei ſuæ, & transferre in alium abſque traditione. Hujus autem rei duplex eſt ratio. Prior ob injuriam priori viro, & filiis illatam, per tranſitum ad ſecunda vota. Quæ injuria conſtat ex *Auth. de nuptiis, §. Si autem tutelam, verſ. Nos autem*, ibi: *Tribus maxime neglectis Deo, defuncti memoria, & charitate filiorum.* Et *auth. de non eligendo ſecundo nubentes, §. Proſpeximus*, ibi: *Quoniam omnibus ſimul ſecundis nuptiis fecit injuriam.* Et *auth. de nuptiis, §. Quæ vero nunc ſequuntur, verſ. Nos igitur*, ibi: *Defuncti animum contriſtarit.* Et *verſ. Qui igitur*, ibi: *Et per omnia contriſtandi priorem maritum.* Et *§. Nec illud*, ubi agitur de filiis ibi: *Et illi injuriam paſſi ſunt nuptias.* Et *§. Si vero*, ibi; *Et filios ex hoc exhonoratos.* Et *§. Soluto*, ibi: *Et non procreatam ſobolem ſequentibus matrimoniis forſitan contriſtare.* Quæ ratio legitima eſt, (ut fatentur omnes DD. quos n. 43. & 49. referam) ob id enim ab hac pena excuſant feminam tranſeuntem ad ſecundas nuptias de conſenſu viri, aut filiorum prioris matr. quod ipſis conſentientibus ceſſet injuria. Et clare redditur hæc ratio *auth. de non elig. ſecundo nub. in princ. verſ. Proſpeximus*, ibi: *Et nullam eſſe licentiam matri alios quidem filiorum eligere, alios autem exhonorare; quoniam omnibus ſimul ſecundis nuptiis fecit injuriam.* Et *§. Venient autem, auth. de nupt.* ibi: *Venient autem talia lucra ad filios omnes ex prioribus offenſos nuptiis.* Quamvis *Sacramento lib. 1. ſelect. c. 4. n. 3.* eam contra communem ſentent. impugnet; poſterior ratio eſt, quam tradit *ibi Sarmiento.* Quod æquitati naturali, & rationi conſonet, ut bona prioris viri laboribus quæſita, non cedant in vitrici, aut ejus filiorum utilitatem, ſed reſerventur filiis conjugis, qui illa acquiſivit. Hæc autem ratio ſola non ſufficeret. Nam bona ex poſterioris conjugis ſubſtantia parta, ſi non tranſeat ad tertias nuptias, minime tenetur reſervare filiis ſecundi matrimonii: ſed poteſt de eis diſponere inter filios prioris matrimonii, ſicut de propriis bonis. Cum tamen militet illa ratio, nempe, comparata eſſe ſudore ſecundi viri. Quod contingit, quia nec ſecundo viro, nec ejus matrimonii filiis injuria aliqua irrogata eſt. At id efficere nequiret tranſiens ad tertias nuptias, ſed privaretur dominio, & transferretur ad filios ſecundi matrimonii: eo quod jam illi eorumque pater injuria affecti ſint. Non ergo ſola illa æquitas naturalis eſt cauſa hujus deciſionis, ſed illa ſimul cum injuria irrogata, imo hæc eſt potiſſima. Quamvis autem *d. l. Feminæ, in principio*, dum hanc reſervationem ſtatuit, loquatur de femina tranſeunte ad ſecundas nuptias poſt annum luctus, at a fortiori eſt idem dicendum, ſi tranſeat intra annum luctus. Cum longe gravior injuria viri memoriæ, ac ejus filiis tam accelerato tranſitu inferatur. Præterea, quia creditu non eſt dignum, leges, quæ tam acerbis penis feminam intra annum luctus nubentem plectunt, (ut diſp. 87. explicuimus) velint eam eximere ab hac, quæ æquitati naturali conſonat, ac in favorem filiorum valde cedit. Unde dum *prædicta l. feminæ*, explicuit, ultra annum luctus, noluit contrarium decidere, ſi intra annum illum luctus nuptiæ ſecundæ contingerent, ſed id ſolum declaravit, quod difficultatem ingerere poterat. Nec valet argumentum a contrario ſenſu petitum, quando inde conſurgit abſurdus intellectus (ut tradit *Everardus in ſuis topicis, loco a contrario ſenſu n. 7.*) & ita tradunt *gloſſ. d. l. Feminæ, verb. Statutum, & d. l. Generaliter, verb. Generaliter. Et ibi Bald. ſtatim in princ. ante primum notabile, Ripa d. l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 10. n. 20. Azebedo l. 5. recop. tit... l. 3. n. 2.* Quod ſi opponas, quod ex multis retulimus diſp. 87. n. 24. nempe correctum eſſe jure canonico, ut femina intra annum luctus nubens perdat proprietatem. Ibi huic objectioni ſatisfeci, hoc explicans Et ut mater per tranſitum ad ſecundas nuptias perdat dictam proprietatem, ac teneatur reſervare filiis prioris matr. nulla exigitur judicis ſententia. Quia hoc non eſt proprie pena, ſed juris diſpoſitio in filiorum favorem. Atque id ſignificant verba textus citata, dum dicunt, ſtatim eam perdere proprietatem, *auth. de nupt. §. Si vero expectet.* Et ita docent *Nicol. Arelatan. l. Generaliter, in nova edit. n. 93. C. de ſecund. nupt. & citato Corneo, Ant. Gabr. t. 3. commun. opin. l. 3. t. de ſecund. nupt. concl. 1. n. 10.* Uſumfructum vero, quem mater ſecundo nubens ſibi retinet in bonis prioris viri, quorum proprietatem perdit, non tenetur filiis prioris matr. reſervare, quod omnes textus allegati ad ſolam proprietatem ſervandam obligent. Et ita docent *Jo. Lupus leg. 15. Tauri n. 40.*

3 Quamvis autem *l. Generaliter, in princ. verb Dividendi, & l. Feminæ, in princ. C. de ſecund. nupt.* concedebatur matri, ut pro ſuo arbitrio poſſet inter filios prioris matr. dividere acquiſita a priori conjuge, quorum proprietatem amiſerat, ac in eis præferre quem ex illis mallet: at hæc electio, & diviſio ſublata ſunt per jus authenticorum, quod prædictas leges corrigens, ſtatuit ea lucra æque inter filios prioris matr. dividenda, nec integrum eſſe parenti, aliquem illorum in quantumvis modica parte præferre, ut conſtat ex *auth. Lucrum, Cod. de ſecund. nupt.* ibi. *Lucrum hoc æqualiter inter liberos diſtribuitur, non arbitrio parentis permittitur* Idem habetur *auth. de nupt. §. Venient, collat. 4. & auth. de non elig. ſecundo nubentes, §. Proſpeximus, collat. 1.* Et quamvis *Pelaez de Meres de major. in 1. edit. 1. par. quæſt. 54. fin.* dicat ſatis dubium eſſe, an hoc correctum ſit per *leg. reg. 19. Tauri, hodie leg. 3. tit. 6. l. 5. novæ recop.*

quæ abſolute, & indiſtincte permittit parentibus in 3. & 5. bonorum ſuorum parte quemlibet ex filiis, vel deſcendentibus præferre: atque addit in hoc dubio non eſſe recedendum ab hujus legis regiæ deciſione. Ceterum nullo pacto correctas eſſe prædictas leges aſſerendum eſt. Quia *lex reg.* loquitur in bonis propriis ipſorum conjugum, ibi: *Puedan ſennalar en cierta coſa, o parte de ſu hazienda, el tercio y quinto de mejora.* At hæc bona reſervanda prioribus filiis, non ſunt proprium tranſeuntis ad ſecundas nuptias patrimonium, ſed ſolum uſumfructum in eis retinet (ut n. præc. probavimus) Præterea, quia *l. 15. Tauri, hodie l. 4. t. 1. l. 5. novæ recop.* ſtatuitur, ut diſpoſitum in femina ſecundo nubente, quoad perdendam bonorum a viro acquiſitorum proprietatem, abſque obligatione reſervandi filiis prioris matr. habeat locum etiam in viro ſecundam uxorem ducente. Cum ergo attenta *ea l. 15. reg.* bona illa reſervanda filiis prioris matr. non ſint proprium patrimonium conjugis ſecundis nuptiis copulati, cum poſtea concedit *l. reg. 19.* facultatem, præferendi filios in tertia, & quinta patrimonii parentum parte, non intelligit de bonis illis reſervandis filiis prioris matr. Præterea, quia non eſt credendum, quod tot Authores, qui *leg. illas reg. 15. & 19. Tauri* commentati ſunt, hujus correctionis immemores fuerint. Tandem, quia DD. n. 4. allegandi ex Regnicolis ſunt, & tanquam rem manifeſtam ſupponunt in iis bonis denegari parentibus facultatem præferendi aliquem ex filiis prioris matrim. nec id in dubium vertunt.

4 Hoc tamen temperandum eſt, nempe, non poſſe in his bonis præferri aliquem ex filiis prioris matrim. ut intelligatur, quando conjux ſecundo conjugatus habuit immediate ea bona a conjuge defuncto: ſi enim ex ſucceſſione filii prioris matr. habeat aliqua bona, in quibus filius parenti defuncto ſucceſſerat, conjux ſuperſtes ea dividere inter filios reliquos prioris matrim. ac in eis quemlibet illorum præferre, ſicut poteſt id efficere de propriis ſuis bonis, hoc tamen excepto, quod illa bona ſunt neceſſario reſervanda filiis prioris matrim. ac inter ipſos ſolos dividenda: hæc autem minime, ſed inter utriuſque matrim. filios. Et ratio eſt, quia attento jure Codicis (ut diximus n. 2) quamvis bona quælibet a defuncto conjuge titulo lucrativo acquiſita teneretur ſuperſtes reſervare filiis prioris matr. poterat tamen illa inter eos dividere, & aliquem ex illis præferre. Et quamvis facultas hæc adempta ſit per jus authenticorum, ut *auth. de non eligendo ſecundo nubentes, §. Proſpeximus, & auth. de nuptiis, §. Venient, & auth. Lucrum, C. de ſecund. nupt.* At textus hi de lucris nuptialibus habitis immediate a marito, vel ex legato, vel ex donatione ejus loquuntur. Quare videntur non corrigi, ſed in ſuo priſtino robore manere jura Codicis quoad hæc bona: ut ceteri textus tanquam correctorii reſtringi debeant. Et confir. quia *auth. de nuptiis, §. Hinc nos, verſ. Si autem inteſtatus*, loquens textus de bonis paternis, quæ ex filii ſucceſſione conſequitur mater ad 2. nuptias tranſiens ſolum decidit ea bona quoad proprietatem reſervari filiis prioris matr. nulla mentione facta poteſtatis, vel impotentiæ inter illos diſtribuendi. Ergo ſervandum eſt jus Codicis tanquam illeſum manens, quod permittebat hanc diſtributionem in bonis, quorum proprietas reſervabatur filiis prioris matrim. Sed dices, illud Codicis, quod permittebat eam diſtributionem inter illos filios, & alicujus prælationem, non loqui de bonis habitis ex ſucceſſione filii: ſed de habitis immediate a viro (ut conſtat ex dictis n. 2.) ac proinde nullo jure permiſſam eſſe diſtributionem, & prælationem, inter filios prioris matrim. in his bonis habitis ex filii ſucceſſione. Nam authenticum loquens de his bonis, reſervationem ſolam decidit, nulla facta mentione diſtributionis (ut proxime dixi) Fateor hoc: at cum hæc ſimul ſtent, reſervare bona filiis matrim. prioris, & poſſe parentem inter eos diſtribuere: ut conſtat ex *l. Femina, in princ. & leg. Generaliter, in princ. C. de ſecun. nupt.* & textus ſolum reſervarit hæc bona, non denegando poteſtatem diſtribuendi: ac ubi eam denegari voluit, id expreſſit: ſignum eſt in his bonis non eſſe denegatam poteſtatem. Et 2. probatur, quia cum hoc ſit jam effectum patrimonium filii, ſatis eſt ut retineat qualitatem reſervationis: cum lege expreſſa non ſit negatio facultatis diſtribuendi. Et ita ſuſtinet *Sarmient. lib. 7. ſelect. c. 11. n. 1.* Sed quamvis hoc ſit acute, & probabiliter dictum: multo magis placet non eſſe integrum parenti hæc bona inter filios prioris matr. diſtribuere, nec in eis quemquam illorum præferre: ſed æque reſervare filiis illis. Ducor, quod ex natura rei, & ubi nulla eſt contraria juris permiſſio, ex reſervatione bonorum, amiſſa proprietate, eaque in prioris matrim. filios tranſlata: neceſſario inferatur, parentem, qui ſolum uſumfructum retineat, nullo pacto poſſe diſponere de proprietate, utpote, quæ non eſt ſua, ſed filiorum: & ſi id poterat attento jure Codicis, id eveniebat, quia jus illud privans proprietate ſpeciali permiſſione conceſſit eam poteſtatem diſtribuendi, & præferendi. Quare cum jus illud non loquatur de bonis habitis ex ſucceſſione filii: circa hæc nulla eſt ſpecialis deciſio, ut dicamus illam corrigendam eſſe. Jus autem authenticorum, quod circa hæc bona reſervationem ſtatuit: ac matrem privari illorum proprietate, tranſeundo ad ſecundas nuptias, cum non expreſſe permittat hanc diſtributionem, & prælationem, nec alibi circa hæc reperiatur permiſſa, ex neceſſaria conſequentia amiſſionis proprietatis, infertur eam interdictam eſſe. Non enim poteſt dici, diſpenſationem *§. Hinc nos, auth. de nupt.* decernentis horum bonorum reſervationem, & parentem privari illorum proprietate, intelligendam juxta jus Codicis ſimilem reſervationem facientis, cum poteſtate diſtribuendi, ac præferendi. Quia cum jus illud Codicis eſſet jam correctum per idem jus authenticorum, *eadem auth. de nupt. §. Venient autem*, non eſt dicendum diſpoſitionem *auth. eod. tit.* conformari cum jure Codicis antiquati jam, & correcti ibidem, ſed potius cum diſpoſitione ejuſdem authentici corrigentis, & ita ſtatuentis eam reſervationem, ut nequeat parens circa bona ſic reſervata efficere diſtributionem, aut aliquem filium præferre: eo vel maxime, quod hæc duo ſint connexa ſuapte natura, ubi ſpeciali juris proviſione non ſegregantur. Et ideo contra *Sarmiento* (licet nulla adducta ratione) tenet *Azeb. lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 5.* Atque hujus ſententiæ videntur *Silveſter, nuptialis, lib. 2. ver. Diviti non eſt nubendum, n. 75. ampliat. 1.* junct. *n. 76. ampliat. 4. Ant. Gomez l. 14. Tauri n. 2. & 3. Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. l. 3. gloſſ. 2. n. 42. Gutier. lib. 3. pract. q. 43. n. 25. ſtatim in princ. P. Molin. tom. 1. de juſtit. tr. 2. diſp. 163. col. 3. notab. 3.* ubi poſtquam dixere, quæ bona teneatur parens tranſiens ad ſecundas nuptias reſervare filiis prioris matr. ac inter ea numerarunt, quæ ex filii ſucceſſione acquiſivit, dicunt nequire parentem hæc bona inter filios diſtribuere, aut aliquem eorum in illis præferre, ſed æqualiter omnibus illis reſervari.

Hinc deducitur primo, quid in hac quæſt. ſentiendum ſit. 5
Conjux prætulit filium quemdam communem in tertia bonorum ſuorum parte, & reliquum conjugem inſtituit hæredem quinti: dubitatum fuit, an parente ſuperſtite ſecundo conjugato, ſuccedant illi filii pro æquis portionibus in quinto legato illi? Id enim affirmare videtur quamvis ſuboſcure *Ripa l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 25. n. 67. C. de ſecun. nuptiis*, quod *in auth. Lucrum, C. de ſecun. nupt.* decidatur lucra habita a conjuge tranſeunte ad ſecundas nuptias ex bonis conjugis defuncti, eſſe æqualiter dividenda inter filios prioris matrim. At merito duo cauſidici prætorii Granatenſis ex peritioribus conſulti de hac re oppoſitum cenſuere, dixeruntque filio illi, prælato in tertia bonorum parentis defuncti parte, dandam eſſe tertiam partem illius quinti, atque deinde ex reſiduo dandam illi quamdam portionem æqualem, ſicut & reliquis filiis prioris matrim. Et ratio eſt, quod authenticæ ſunt inſertæ in libro Codicis a quodam privato Authore, atque ideo vim legis minime obtinent, niſi quatenus concordant cum authentico originario: at *dict. auth. lucrum*, male tranſlata eſt ex authentico originario, quod eſt *auth. de nuptiis, col. 4. §. Venient autem*, omiſſa enim eſſe ea verba, *Ideoque ſecundum portionem unuſquiſque*. Cum ergo filii ſucceſſuri ſint in illo quinto, ſecundum portionem, in qua unuſquiſque ſucceſſit parenti defuncto, ille qui in tertio prælatus eſt ab ipſo, præferendus quoque eſt in tertio illius quinti, & deinde ſicut unus ex fratribus in ſua portione ſuccedet.

Secundo deducitur, matrem tranſeuntem ad ſecundas nu- 6
ptias, non poſſe diſponere de proprietate illorum bonorum, quæ filiis prioris matr. reſervare tenetur, ea alienando, aut obligando. Sic deciditur expreſſe *l. Feminæ, in fin. princ. & l. Generaliter, in princ. C. de ſecun. nupt. & auth. de nupt. §. Sed quod ſancitum eſt, collat. 4.* Et ratio eſt, quod ſolo uſufructu eorum bonorum gaudeat. Utrum autem uter vis parens ad ſecundas nuptias tranſiens teneatur filiis cavere de his lucris reſtituendis: conſulendi ſunt *Cifruentes l. 15. Tauri, ad fine, Greg. Lop. l. 26. verb. Fincan, fin. t. 13. p. 5. Covar. 1. variar. 1. cap. 8. n. 6. Anton. Gomez l. 15. Tauri n. 5. Azebedo l. 5. recop. tom. 1. lib. 4. a n. 48.* & alii multi quos hi referunt.

Nec tamen inde inferre licet alienante parente ejuſmodi 7
lucra, integrum eſſe filiis prioris matrim. revocare vivente parente alienationem. Pars enim negans colligitur a contrario ſenſu *l. Generaliter, in princ. verſ. Itaque defuncto eo, C. de ſecun. nupt.* ibi. *Itaque defuncto eo, qui eos liberos ſervabat, extantes ab omni poſſeſſore liberi vendicabunt.* Ergo a contrario ſenſu eo ſuperſtite non poterunt. Sed quia tempore illius legis retinebat parens ille proprietatem, dum ſuperſtes erat, quam hodie ipſo jure amittit (ut diximus n. 2.) videtur hodie poſſe filios revocare vivente adhuc parente, quod injuſte fecerit, rem non ſuam, ſed filiorum alienando. Et ideo hoc ſuſtinet *Bald. dict. leg. Generaliter, §. In his autem, ſtatim in princ. verſ. Et per iſtam rationem.* Sed verius eſt, non poſſe revocare ſuperſtite parente. Ducor ex *§. Sed quod ſancitum eſt, auth. de nuptiis*, ubi poſt quam textus decrevit, parentem ſecundo conjugatum amittere proprietatem, & facultatem alienandi, vel hypothecæ ſubjiciendi ea bona, ſubjicit textus hæc: *Non ut prohibeat eos aliquid agere in iis, quæ voluerint. Erubeſcit enim lex caſtigatores filios genitoribus ſtatuere.* Ubi *gloſſ. v. Aliquid*, explicat, quod pertineat ad cauſam uſusfructus ſecundum aliquos: imo etiam quod ad proprietatem pertinet. Et paulo inferius ait textus: *Vel ſi quid omnium egerit, tale erit, quale nec geſtum, nec ſcriptum quod factum eſt, vendicabunt enim ea omnino filii.* Ubi ponderandum eſt verbum illud futuri temporis, *Tale erit*, quod denotat alienationem, non ſtatim eſſe irritam, neque filios protinus vindicare: & ita textus ait, *vendicabunt*, ſcilicet, poſt mortem parentis. Nec obſtat filios eſſe dominos. Quia non ſunt domini irrevocabiliter, ſed ſi ſupervixerint parenti: quare interim vendicare non poſſunt, *l. fin. §. Sin autem, C. communia, de legatis.* Sic tenent *Ripa l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 28. num. 69. C. de ſecund. nuptiis.* Utrum autem ſi filii ſint hæredes poſſint revocare: an potius teneantur ſtare geſtis a parente, utpote qui tenentur de evictio-

evictione, conſulendi ſunt late Nicol. Arelat. l. Generaliter, in nova edit. n. 120. & multis ſeq. C. de ſecun. nupt. & Ant. Gabr. tom. 3. commun. opin. lib. 3. tit. de ſecun. nupt. concl. 2. a n. 4.

8 Quod ſi parens non alienavit, ſed conſumpſit: videntur ejus hæredes non teneri ad æſtimationem. Licet enim parens non habeat facultatem alienandi, habet tamen facultatem utendi, poſſidendi, & fruendi. Ergo re perempta non tenetur. Argumento ex l. penult. & fin. ff. quemadmodum ſervitus amittit. Nam res perit domino, l. Incendium, C. ſi certum petat. Ceterum dicendum eſt, teneri hæredes ad æſtimationem. Sic enim deciditur l. Feminæ, in fin. princ. & l. Generaliter, in princ. C. de ſec. nupt. Quod intelligendum eſt, quando culpa parentis, qui reſervare tenebitur, res illa periit atque conſumpta eſt. Si enim abſque ejus culpa pereat, periit vero domino, nempe filiis, d. l. Incendium. Sic Bald. ea leg Generaliter, in princ. n. 2. verſ. Sed numquid iſtæ res, & ibi Nicol. Aretat. in nova edit. n. 116. Ripa dict. l. Feminæ, in fin. princ. Addit bene Bald. idem eſſe dicendum, ſi culpa hæredum periit res illa, filiis prioris matrim. reſervanda.

9 Quadruplex autem conditio deſideratur, ut locus ſit huic bonorum reſervationi filiis prioris matrim. I. eſt, ut mater ad ſecundas nuptias tranſeat: II. ut bona ſint acquiſita ex conjugis defuncti patrimonio: III. ut ſint acquiſita titulo oneroſo. Ultima, ut ſuperſint filii ex priori matrim. Quæ conditiones ſeorſum enucleandæ ſunt.

10 Circa I. conditionem dubitatur 1. an idem dicendum ſit de patre tranſeunte ad ſecundas nuptias. Si res hæc jure communi expendatur, ſub judice erat (ut ſatis probat Joan. Lup. l. 15. Tauri n. 2.) & in viro non procedere tenet Sallic. l. Feminæ, §. Illum, n. 3. C. de ſecund. nupt. At communiſſima, & fere certa ſententia eſt, idem prorſus diſpoſitum in femina, habere locum in viro ſecundam uxorem ducente; attento jure communi; atque ita eum amittere proprietatem bonorum, quæ ab uxore titulo lucrativo habuit, nec poſſe eam alienare, aut hypothecæ ſubjicere, aut diſtribuere, ſed æqualiter reſervari filiis prioris matrim. Idque ſatis probat textus in l. General. C. de ſecun. nupt. & melius in auth. de nupt. collat. 4. §. Si vero expectet, ibi: Et hæc communis mulieris, & viri multa ſit poſita. Ubi gloſſ. v. Et viri, ait ſcilicet, tranſeuntis ad ſecunda vota. Atque ita ſuſtinent Gloſſ. l. Feminæ, in princ. verſ. Poſſeſſione, C. de ſecund. nupt. Bart. ibi n. 2. Bald. in fin. princ. Ripa in nova edit. q. 1. n. 2. Hoſt. ſum. tit. de ſecund. nupt. n. 5. verſ. Sic vidiſtis, Azor. ſum. cod. tit. num. 14. Oldrad. conſ. 33. n. 2. & 3 idem Bart. auth. de non elig. ſecundo nubentes, §. Cum igitur, n. 12. Anch. c. fin. n. 8. q. 1. fin. de ſec. nupt. Præpoſ. rubr. eod. tit. n. 3. Paulus l. Mater n. 3. C. ad Tert. & ibi Angel. de Peruſio in repet. n. 5. fin. Angel. de Aretio inſtit. de S. C. Tertul. §. Præferuntur, n. 16. verſ. Secundo caſu, Rom. conſ. 182. n. 1. Corneus conſ. 242. ad fin. col 2. Pariſ. conſ. 29. n. 77. vol. 3. Nicol. de Ubald. de ſucceſſ. ab inteſtato p. 2 n. 10. Matheſil. eodem tract. art. 2. princ. memb. 1. n. 25. & 26. & ibi Bologn. in addit. Anton. de Roſell. eod. tract. n. 195. Angel. de Gambel tract. de teſtam. gl. 46. n. 7. (habentur omnes hi tom. 8. tract. part. 1.) Nicol. Arel. l. Generaliter, n. 1. 11. 12. q. 2. & 3. C. de ſecun. nupt. Boerius deciſ. 187. n. 1. Guillel. Benedictus, c. Raynutius, de teſtam. v. Et uxorem, deciſ. 5. ubi de ſucceſſ. ab inteſt. n. 88. Tiraq. alios allegans, l. Boves, §. Hoc ſermone, in princ. n. 156. ff. de verb. ſignif. Montal. l. 3. fori t. 1. l. 13. v. Pierdo, Jo. Lupus l. 14. Tauri n. 3. Caſtillo ibi n. 8. Cifuentes l. 15. Tauri n 2. Gomez Arias lib. 12. Tauri, in fi. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 7. Ant. Gom. l. 15. Tauri n. 4. & ibi Tello n. unic. Avend. ibi, gl. un. nu. unic. Molin. lib. 2. de primog. c. 20. n. 59. Gutier. lib. 2. pract. q. 93. n. 3. Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. l 4. gl 3. n. 1. Azebedo eadem l. 4. n. 29 Villalob. in ſuis comm. opin. lit. B. n. 42. Ant. Gabr. tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de ſec. nupt. concl. 1. n. 2. At quidquid ſit de jure communi, in hoc Caſtellæ regno, hæc opinio eſt deciſa, leg. 15. Tauri, hodie l. 4. t. 1. l. 5. novæ recop. reg. ubi expreſſe deciditur in utroque conjuge idem quoad hoc eſſe ſervandum.

11 Non tamen tenetur pater uſumfructum, quem in bonis maternis filiorum lege acquirit, reſervare filiis prioris matr. Quia illo potitur ex legis diſpoſitione ratione patriæ poteſtatis, quæ minime extinguitur tranſitu ipſius ad 2 nuptias. Sic Gom. Arias l. 12. Tauri n. 16. Et quamvis hic uſusfructus, quem habet pater in bonis adventitiis filii, ceſſet in hoc regno conſtituto filio extra patriam poteſtatem per matrim. contractum, receptis Eccleſiæ benedictionibus; juxta l. 48. Tauri, hodie l. 9. t. 1. lib. 5. novæ recop. At uſusfructus, quem utervis parens habet in bonis ex præmortui conjugis ſubſtantia a ſe acquiſitis, quorum proprietatem amiſit per tranſitum ad 2. nuptias, non extinguitur qualitercumque filio extra patriam poteſtatem conſtituto. Quod hic uſusfructus toto parentis tempore vitæ duret, l. Feminæ, C. de ſec nupt. ibi: Poſſidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ, nec a patria poteſtate pendeat, cum mater ſimiliter eum retineat, quæ patriæ poteſtatis eſt incapax. Sic Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 35.

12 Secundo dubitatur, an idem procedat in avis, proavis, & aliis aſcendentibus ad ſecundas nuptias migrantibus? Videtur enim pars negans vera. Quippe leges n. 2. allegatæ de ſolis parentibus loquuntur, quorum nomine maxime in materia odioſa, qualis eſt hæc, non comprehenduntur niſi ſoli pater, & mater. Et l. Feminæ, in princ. C. de ſec. nupt. dicitur, Suſceptis ex priori matrimonio filiis. At dictio, Ex, denotat cauſam immediatam, l. 1. §. Ex incendio, ff. de incend. ruin. naufrag. & ibi Bart. & auth. de nupt. §. Quoniam infirmas, ibi: Filiis quibus ſolis hæc ſervavimus. Ubi ponderanda eſt dictio, Solis, quæ excludit nepotes, l. Jubemus, §. fin. C. ad Trebell. Atque ita hanc partem tenet P. Molin. to. 1. de juſtit. tract. 2. diſp. 163. col. 3. not. 3. At dicendum eſt idem de nepotibus, & aliis deſcendentibus, iis enim tenentur avi, & reliqui aſcendentes bona reſervare a conjuge præmortuo acquiſita, tranſeuntes ad ſecundas nuptias. Probatur ex l. Feminæ, §. Illud, C. de ſecund. nupt. ibi: Nullam ex priori matrimonio habuerit ſucceſſionem. Et l. In quibus 7. C. eod. tit. ibi: Filio vel filia, nepote vel nepte, vel pluribus relictis. Et l. Si quis prioris, 8. C. eod. tit. ibi: Filiis a ſe, vel nepotibus, vel pronepotibus relictis. Ubi manifeſtus eſt ſermo de quibuſcumque aſcendentibus, & deſcendentibus. Et dict. leg. Feminæ, in fi. princ. dicitur bona hæc ſervari quoad proprietatem liberis. Et auth. Lucrum, C. de ſec. nupt. ibi: Lucrum hoc æqualiter inter liberos lege diſtribuitur. At appellatione liberorum continentur nepotes, & reliqui deſcendentes, ut expreſſe habetur l. Liberorum, 120. ff. de verb. ſign. Tandem, quia eadem eſt ratio, imo major in aſcendentibus. Quia magis debetur hæreditas parentibus, quam aliis aſcendentibus, auth. Defuncto, C. ad Treb. Si ergo per tranſitum ad ſecundas nuptias privantur parentes proprietate bonorum, a fortiori privabuntur alii aſcendentes. Atque ita docent Gloſſ. l. generaliter, in princ. v. Generaliter, C. de ſec. nupt. Hoſt. ſum. tit. de ſec. nupt. §. Quare, & qualiter, n. 5. verſ. Et quod dixi, Ang. de Peruſio repet. l. Mater, in fin. Cod. ad Tertul. Angel. Aretin. Inſtit. de S. C. Tertul. §. Præferuntur, nu. 16. verſ. Tertio caſu, Ripa l. Feminæ, in princ. n. 9. q. 6. C. de ſec. nupt. Matheſil. in tract. de ſucceſſione ab inteſtato, art. 2. princ. memb. 1. n. 28. & 29. & ibi Bolog. in addit. Nicol. de Ubal eodem tract. in 2. p. num. 10. Garron. auth. Ex teſtam. in nova edit. poſt not. 7. C. de ſecund. nupt. n. 44. Boerius dec. 187. n. 2. Guillel. Bened. c. Raynut. v. Et uxorem, deciſ. 5. ubi de ſucceſſ. ab inteſt. nu. 86. de teſtam. Caſtillo l. 15. Tauri n. 1. col. 2. v. Las mugeres, & ibi Tello fin. & l. 6. n. 20. Greg. Lop. l. 26. v. Fincan, tit. 13. par 5. Menoch. conſ. 155. n. 31. vol. 2. Azebedo lib. 5. recop. tit. 1. l. 4. n. ult. & nu. 9. & t. 9. l. 6. n 2. Ant. Gabr. tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de ſecun. nupt. concl. 3. n. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 3. fin. Burſatus conſ. 12. nu. 9. vol. 1. Hoc tamen intelligendum eſt, quoad bona, quæ pervenere ad aviam ex ſubſtantia ipſius avi ſui conjugis, & econtra ad avum ex ſubſtantia aviæ, & ſic de aliis aſcendentibus, etiamſi ea bona ad nepotes prius pervenerint, quibus ab inteſtato avus, vel avia ſucceſſerunt: tenentur enim avus, vel avia ad ſecundas nuptias tranſeuntes ea reſervare nepotibus ſuperſtitibus ex priori matrim. habitis, ſecus autem erit, ſi pater vel mater bona aliunde quam ab avo, vel ab avia quæſita reliquerit filiis ſuis. Nam hæc quamvis ad aviam per ſucceſſionem ab inteſtato perveniant, non tenetur ea reſervare dictis nepotibus. Sicut nec parentes tranſeuntes ad ſecunda vota privantur ſubſtantia aviæ, vel avi (ut n. 23. dicemus. Sic Ang. Aret. eod. §. Præferuntur, n. 17. verſ. Ex prædictis ergo, Matheſil. Guillel. Bened. Garronis Greg. Lop. Matien. prox. alleg. Tello l. 6. Tauri n. 20. Ant. Gabr. eadem concl. num. 17.

13 Tertio dubitatur, an locus ſit huic reſervationi, quando ſecundum matrim. a parente initum non eſt conſummatum, aut eſt irritum? Et quidem quando non eſt conſummatum, neminem inveni diſputantem: at cum l. Feminæ, C. de ſec. nupt. & ceteri textus de hoc loquentes, ac rubrica illorum, de nuptiis ſecundis loquantur, & res ſit pœnalis; ut conſtat ex auth. de nuptiis, §. Si vero expectet, ibi: Et hæc comm. mulieris, & vera multa ſit. Exiſtimo juxta dicta in ſimili, diſp. 87. n. 19. intelligendum eſſe, quando poſterius matrim. eſt conſummatum. Deinde, quia ratio hujus pœnæ eſt injuria irrogata priori viro, & filiis (ut probavi n. 2.) quæ non plene, ac perfecte infertur, donec matrim. conſummatio accedat. Quando autem prius matr. irritum fuit, dicendum eſt locum eſſe huic reſervationi, ſi ex eo geniti filii legitimi ſint ob bonum utriuſque vel alterius parentis fidem. Quia in his filiis legitimis militant rationes traditæ nu. 2. Et ita docet Ripa rubr. C. de ſec. nupt. in nova edit. n. 14. verſ. Sed de alio dubitari poteſt, & pollicetur latius de hoc ſe acturum l. Hac edictali, C. eod. tit. ac interim cogitandum eſſe dicit. At ſi non ſint legitimi, conſtat nullam eſſe reſervationem. Si vero poſterius matrim. ſit irritum Garron. lib. 1. in nova edit. notab. 3. n. 10. C. de ſec. nupt. ait incurri hanc reſervationis pœnam, ſi tales nuptiæ conſummentur, ſive ſcienter ſive ignoranter contractæ ſint. Sed exiſtimo ſi ignoranter contractæ ſint, non locum eſſe huic pœnæ: per quæ dixi diſp. 87. n. 18. Si autem ſcienter, cum ſit fornicatio, pendet ex ea quæſtione quam diſp. ſeq. diſcutiemus, an parens viduitatis tempore fornicans teneatur ad hanc bonorum reſervationem, perinde ac ſi ad ſecundas nuptias tranſiiſſet. In qua quæſtione defendemus ibi nu. 11. non teneri, donec, judicis ſententia accedat. Quare in præſenti quæſt. idem dicendum eſt.

14 Ex ſecunda conditione, nimirum, ut bona ſint acquiſita ex prioris conjugis defuncti patrimonio, infertur. Primo, ſi vir legatum aliquod relinquat uxori, vel uxor viro, teneri utrumvis tranſeuntem ad 2. nuptias id reſervare filiis prioris matrim. Sic habetur expreſſe l. Feminæ, in princ. C. de ſecund nupt. ibi: Teſtamento, jure directo, aut Fideicommiſſi aut legati titulo. Quia id titulo lucrativo habetur ex bonis conjugis præmortui. Et docent Oldrad. conſ. 33. n. 3. Ripa dict. l. Feminæ, in princ. in nova

nova edit. q. 19. n. 51. Jo: Lupus, l. 14. Tauri n. 22. Boer. deciſ. 185. n. 7. addens (& bene) idem eſſe ſi alteri donet, Caſtillo, l. 14. Tauri n. 8. Cifuentes l. 15. Tauri n. 2. verſ. In 2. caſu principali. Et ibi Ant. Gomez n. 2. Molina lib. 2. de primog. c. 10. n. 60. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 3. Azebedo eod. tit. l. 4. n. 21. & 29. Alter Molina to. 2. de juſtit. tr. 2. diſp. 431. col. 7. verſ. Dubium eſt. Sed eſt fortis objectio contra hoc. Quia ſi filius leget utrivis parenti, non tenetur is ſecundo poſtea conjugatus id legatum reſervare filiis prioris matrim. auth. Ex teſtamento, C. de ſecund. nupt. & ea redditur ratio, quod tunc capiat a filio, tanquam ab extraneo, Et dicemus latius hac diſp n. 41. Ergo idem dicendum eſt, quando conjux legat conjugi, cum ſimiliter capiat tunc conjux inſtar extranei. Solam enim quintam bonorum partem, quam extraneo dare poterat, poteſt ei ligare in præjudicium filiorum. Atque proinde videtur correcta deciſio illa l. Feminæ, per d. auth Ex teſtamento. Sed dic cum Doctoribus allegatis non eſſe correctam, ſed in ſuo robore perſiſtere: eſſeque caſum ſpecialem, in quo eſt deterioris conditionis conjux ille, cui legatum relictum eſt, quam quilibet extraneus. Et poteſt eſſe ratio injuria irrogata conjugi mortuo per conjugem ſecundas nuptias amantem, quam minime infert extraneus: & ſic nil mirum, ſi deterioris conditionis ille ſit.

15 Secundo infertur, quid dicendum ſit in ea quæſtione. Si pater in ſuo teſtamento ſubſtituat pupillariter matrem filio impuberi: an bona illa, quæ ex ſubſtitutione pupillari patris per mortem filii mater conſecuta eſt, teneatur reſervare filiis prioris matrim. Cujus difficultatis enodatio pendet ex cognitione, an ſubſtitutio illa pupillaris cenſeatur teſtamentum patris, an potius filii impuberis. Si enim patris ſit, tenebitur reſervare, juxta n. præc. dicta. Utpote, quæ ex teſtamento viri ea bona aſſecuta eſt. Si autem filii ſit, non tenebitur, juxta dicenda n. 41. Quia tunc ſuccedet ex filii teſtamento, Baldus conſ. 42. ad evidentiam, n. 3. & conſ. 216. Caſus talis eſt ſtatuto, in fin. l. 3. cenſet non teneri matrem tranſeuntem ad ſecundas nuptias ea bona reſervare filiis prioris matrim. ſed pleno jure ea acquirere quoad proprietatem, & uſumfructum, quod teſtamentum illud cenſeatur patris, & filii illius, quoad ordinationem, pater enim illud ordinat: hujus autem, quoad ſucceſſionem; vere enim per illud ſucceditur filio, leg. Papinianus, §. Sed nec impuberis, ff. de inoffic. teſtam. Et ita favorabilior via eligenda eſt, ut ſuccedat mater tanquam ex teſtamento filii. Idem approbat dicens ſingulare Boer. deciſ. 186. n. 2. Idem tenet Ant. Gabr. to. 3. comm. opin. l. 3. tit. de ſecund. nupt. concl. 3. n. 24. Alii cenſent teneri reſervare. Quoniam pupillare teſtamentum non eſt proprie filii, ſed patris. Quod vel inde conſtat, nam in teſtamento filii eſt neceſſario mater hæres inſtituenda, nec poteſt gravari in legitima jure ſibi debita. At eo teſtamento poteſt mater exhæredari ac gravari. Judicandum ergo eſt de iis bonis, quæ mater ſic habet, ſicut de illis omnibus, quæ ex viri teſtamento conſecuta eſt: quæ tenetur ſervare. Deinde, quia hæc bona cenſetur mater habere ex propria viri liberalitate: cum potuiſſet alii cuivis relinquere excluſa penitus matre. At ea omnia, quæ mater habet ex largitione viri liberalis, tenetur reſervare filiis prioris matrim. l. Feminæ, in princ. C. de ſecund. nupt. Et hæc ſent. mihi placet. Quam ſequi videtur Franc. Aret. conſ. 40. in fin. Et tenet Garronis auth. Ex teſtamento, in nova edit. a n. 15. uſque ad 18. C. de ſecund. nupt. ubi idem bene ait, ſi mater ſit ſubſtituta compendioſe, in quo caſu deſcendente pupillo intra ætatem pupillarem, valet ut pupillaris jure directo, etiam quando facta eſt per verbum commune. Juxta frequentiorem ſent. in qua in l. Centurio, ff. de vulgari. Idem tenet Acoſta c. Si pater 2. p. v. Cenſendum, n. 19. de teſtam. in 6. optime limitans ut intelligatur de bonis, quæ pupillus ille a patre habuit. At ſi quid pupillus patre ſuperſtite, aut defuncto aliunde habuit; id pleno jure retinebit mater. Quia quamvis ſuccedat ex mariti teſtamento: at l. Feminæ, & l. Generaliter, C. de ſecund. nupt. loquuntur de iis bonis, quæ ex propriis viri facultatibus uxor conſecuta fuit. Quare cum hæc bona non fuerint mariti, non habebunt locum eæ leges. Præterea, quia non eſt eadem ratio in bonis impuberis propriis, etiam ſi id teſtamentum ſit patris, ac in bonis ipſis paternis, ut conſtat ex l. Si is, qui ex bonis, 6. ff. de vulgari, ibi: Si is, qui ex bonis teſtatoris ſolidum capere non poterat, ſubſtitutus ſit ab eo impuberi filio ejus, ſolidum ex ea cauſa capiet, quaſi a pupillo capiat. Ergo quamvis bona paterna ex ea ſubſtitutione parta teneatur mater reſervare, non idem dicendum erit de bonis ipſius impuberis.

16 Tertio infertur, quando ex teſtamento, vel donatione conjugis defuncti, non tamen ex bonis ipſius, conſequitur aliquid alter conjux, id minime reſervandum eſſe filiis prioris matrim. Ut ſi quidam committat viro facultatem nomine ſuo teſtandi, vel ex bonis propriis diſtribuendi certam quantitatem: & vir leget, aut diſtribuat uxori, conſequetur pleno jure uxor, quamvis poſtea ſecundo nubat. Quia (ut n. præc. cum Acoſta probavimus) ea reſervatio ſolum habet locum, quando bona conjugi relicta ſunt ex defuncti conjugis ſubſtantia. Deinde, quia hæc bona non cenſetur conferre executor ipſe uxori, cum non ſit eorum dominus, & ita quamvis liberam habeat electionem, nequit gravare: ſed cenſentur collata ab eo, qui commiſit, l. Unum ex familia, §. Si de falcidia, ff. de legat. 2. Præterea, quia hujuſmodi faciens diſtributionem poteſt ea bona dare proprio filio ſpurio, juxta communem omnium ſent. Cum tamen interdictum ei ſit aliquid illi ex bonis propriis relinquere. Quia in hoc eventu non cenſetur ipſe pater diſtribuens dare. Secus autem eſſet, ſi commiſſarius ille ad legendum vel diſtribuendum dediſſet, aut legaſſet conjugi illius, cui poteſtatem commiſit: tunc enim conjux ille ad 2. conjugium migrans tenetur ſic accepta reſervare filiis prioris matr. Quia vere reputantur a conjuge defuncto liberaliter accepta: & ſic vera omnium ſententia fatetur non poſſe commiſſarium diſtribuere, aut legare filio ſpurio committentis facultatem. Quod tamen intelligerem, quando ea diſtributio gratuita eſſet. Quoniam ſi ea bona conjux cuidam commiſiſſet diſtribuenda pauperibus, ut ſe levaret onere reſtituendi debita ignoti domini, tunc enim ſi conjugi vere pauperi committentis facultatem aliquid ex eis bonis diſtributum eſſet, non teneretur tranſiens ad ſecundas nuptias reſervare filiis prioris matrim. Nec enim ea bona cenſeretur conſequi ex ſui conjugis liberalitate, ſed nomine creditoris incerti, cujus perſonam repræſentat, ut vere pauper, tamquam vere debita.

17 Quarto infertur, quid cenſendum ſit de bonis, quæ conjux tranſiens ad ſecundas nuptias acquiſivit ſibi data contemplatione conjugis defuncti. Quidam cenſent ea non reſervari filiis prioris matrim. Quia lex privans conjugem proprietate acquiſitorum ex alterius conjugis ſubſtantia, & reſervans eam filiis prioris matrim. eſt pœnalis (ut nu. 13. probavimus.) Atque proinde loquens in caſu vero, vel ſimpliciter, non debet trahi ad caſum fictum, qualis eſt, ut contemplatione conjugis, donata conjugi cenſeantur data a conjuge, cujus contemplatione donata ſunt. Præterea quia, l. Feminæ, ſtatim in princ. C. de ſecun. nupt. dixit, Ex facultatibus priorum maritorum. Et ſtatim paulo inferius. Ex bonis (ut dictum eſt) priorum maritorum. At geminatio verborum præciſam mentem demonſtrat, ac veritatem requirit, cap. Si quis iratus, 2. q. 3. & comprobat Felinus c. fin. princ. de offic. deleg. Et ideo hanc partem ſuſtinent Decius c. Eccleſia, de conſtit. in nova edit. n. 125. Rom. latius probans conſ. 405. a n. 1. uſque ad 4. Guillel. Bened. c. Raynutius, de teſt. v. Qui cum alia, n. 199. Ripa l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 16. n. 34. & ſeqq. C. de ſecund. nupt. Chaſſan. in conſuetud Burgundiæ, rubr. 7. §. 7. n. 2. Cremenſis ſing. 82. Mulier tranſiens, Garronis authent. Ex teſtamento, in nova edit. poſt notab. 7. n. 43. fin. & n. 45. C. de ſecund. nupt. Nicol. Arelat. l. Generaliter, in nova edit. C. eod. tit. n. 69. Caſtillo l. 15. Tauri col. 3. n. 2. verſ. Sed primum verius, Villalob. in ſuis communib. lit. B. n. 38. Ant. Gabr. tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de ſecund. nupt. concl. 3. n. 32. Azeb. lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 42. Aliis vero placet, hæc bona reſervanda eſſe filiis prioris matrim. quod cenſeantur profecta ex bonis conjugis, cujus contemplatione data ſunt. Sic Ant. Gom l. 14. Tauri, n. 7. Valaſcus con. 16. n. 2. vol. 1. P. Molina to. 2. de juſt. tr. 2. diſput. 431. col. 7. verſ. Dubium eſt. Ceterum in hac quæſt. nulla videtur eſſe ratio dubitandi, quando ita ea bona dantur conjugi, contemplatione alterius, v. gr. uxori contemplatione viri, ut cenſeantur ipſi viro, & non uxori donata, tunc enim nullatenus acquiruntur uxori etiam quoad uſumfructum, quamvis non ſecundo nubat, nedum ſi nubat: ſed hæredibus mariti ſunt danda, juxta ea, quæ late tradidi lib. 6. tota diſp. 26. Quamobrem controverſia hæc procedit, quando ita dantur uxori, licet contemplatione viri, ut omnino proprietas acquiratur uxori: tunc enim videntur ex mariti ſubſtantia profecta, & ita cenſet poſterior ſententia eſſe reſervanda. At multo verior ſententia eſt, non reſervari, ut ſuſtinent priores DD. allegati. Et probant rationes dictæ. Atque Jo: Lupus, l. 15. Tauri n. 12. caute dixit non perdere uxorem, quæ habuit contemplatione viri, niſi fuerint taliter data, ut viro acquirantur.

18 Quinto infertur, conjugem ſuccedentem ab inteſtato filio prioris matrim. in bonis, quæ is filius ex parentis ſubſtantia habuit, teneri tranſeundo ad ſecundas nuptias ea bona reſervare filiis prioris matrim. ac amittere illorum proprietatem, ſolo uſufructu retento, conſtat ex auth. de nupt. §. Hinc nos, collat. 4. verſ. Si autem inteſtatus, ibi: Si autem inteſtatus filius moriatur, jam ad ſecundas veniente matre nuptias, aut poſtea veniente, vocetur quidem & ipſa ad ejus ſucceſſionem ab inteſtato. Sed quanta quidem, quæ ex paterna ſubſtantia ad filium pervenerunt, eorum ſolummodo habet uſum. Ubi gl. v. Uſum, ait, ideſt, uſumfructum. Idem habetur l. Feminæ, §. Illud, C. de ſecund. nupt. Nec refert, ſive parens tranſeat ad ſecundas nuptias poſt obitum filii, cui in bonis parentis ab inteſtato ſucceſſit, ſive ante illum, ut expreſſe habetur d §. Hinc nos verſ. Si autem inteſtatus. Dixi ab inteſtato. Quia quando ſuccedit ex teſtamento filii, dicemus diſp. hac n. 41.

19 Hoc autem adeo verum eſt, ut etiam procedat in legitima jure debita parenti ſuperſtiti: ex illis bonis paternis, in quibus filio ab inteſtato ſucceſſit, eam enim tenetur reſervare filiis prioris matrim. quod textus allegati n. præc. minime diſtinguant. Et quamvis Ripa l. Feminæ, §. Illud, in fin. C. de ſecund. nupt. in partem contrariam videatur inclinare, vel ſaltem dubius maneat: at hanc partem tuentur Fabian. de Giochis auth. Noviſſima, q. 12. in fin. C. de inoffic. teſtam. Garonis auth. Ex teſtamento, in nova edit. n. 30. & ſeqq. notab. 5. C. de ſecund. nupt. Boerius deciſ. 185. n. 6. Sarmiento lib. 7. ſelect. cap. 11. fin. Villalob. in ſuis comm. opin. lit. B. n. 45. Anton. Gabr. tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. 2. nuptiar. concl. 1. n. 8. Matien. lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 41.

20 Sexto infertur, quid dicendum quando vir, & uxor filiæ communi nupturæ dotem conſtituunt: in quo eventu ex communi-

munibus utriuſque conjugis bonis dos extrahenda eſt: nimirum, ſi lucra conſtante matrim. acquiſita ſufficiant, ex illis: ſin minus, ex aliis quibuſcumque bonis utriuſque conjugis propriis, juxta *l. reg. 35. Tauri; hodie l. 8. t. 9. lib. 5. recop.* Dubitatur ergo, an filia hac abſque deſcendentibus mortua, altero parente jam defuncto, parens ſuperſtes, qui ad ſecundas nuptias tranſiit, teneatur reſervare filiis prioris matrim. totam illam dotem ex bonis parentis defuncti habitam? *Azeb. lib. 5. recop. tit. 1. l. 4. n. 57.* movet quæſtionem, & quamvis dubius tanquam verius ſuſtinet teneri totam dotem reſervare filiis prioris matrim. quod dos illa jam proprium filiæ patrimonium effecta ſit: atque adeo non poſſit attendi, pars ne patris an matris ſit. Sed alius cauſidicus (quem tacito nomine ibi refert) ſuſtinuit ſolam partem a conjuge defuncto habitam reſervari, quod mihi veriſſimum eſt. Quia licet illa dos proprium ſit jam filiæ patrim. at non omnia filiorum bona reſervantur filiis prioris matrim. ſed ea ſola, quæ conjugis defuncti fuerint, in quibus alius ad ſecundas nuptias tranſiens ſucceſſit, ut diximus n. 15.

21 Septimo infertur, quid ſentiendum de bonis, quæ parens conſecutus eſt per ipſius filii renunciationem: vel quia femina ſtatuto excluditur a ſucceſſione: an ea reſerventur filiis prioris matrim. parente tranſeunte ad ſecundas nuptias. De priori quæſt. conſulendus eſt *Boerius tota deciſ.* 184. De poſteriori autem *Saliceтus l. Feminæ, §. Illud, C. de ſecund. nupt. Pariſius conſil. 29. num. 78. vol. 3. Garron. auth. Ex teſtamento, in nova edit. num. 19. C. de ſecund. nupt.*

22 Octavo infertur deciſio ejus quæſtionis. Succeſſit conjux filio prioris matrim. in bonis paternis, proprietas eſt ubi ſecundo nupſit, aliorum filiorum ejuſdem matrim. dubitatur ergo an alii filio ejuſdem matrim. obeunti ſuccedat is conjux in proprietate illa, quam habebat in parte hæreditatis fratris præmortui: an potius in ea ſuccedant alii fratres ejuſdem matrim. *Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 5.* tenet ſuccedere in ea proprietate alios fratres. Quod *Bald. auth. Ex teſtam. n. 1. verſ. Ex paterna ſubſtantia, C. de ſecund. nupt.* dicat bonorum originem ſpectandam eſſe. Cum ergo bona hujus filii in ſua origine paterna fuerint, ſemper conjux ad ſecundas nuptias veniens erit incapax acquirendæ proprietatis illorum. Juxta dicta n. 18. At verius eſt, in ea proprietate ſolum conjugem ſecundo conjugatum ſuccedere, ac eam conſolidari cum uſufructu, quem is habebat. Quia *auth. Ex teſt. C. de ſecund. nupt.* & ceteri textus, decidentes bona paterna comparata ex ſucceſſione filii a conjuge tranſeunte ad ſecundas nuptias reſervari filiis prioris matrim. intelliguntur quando ex ſucceſſione paterna immediate, aut mediate priori ſucceſſione filii comparata ſunt. At conjux ille non comparat hanc proprietatem ex immediata filii ſucceſſione in bonis paternis, ſed ex immediata ſucceſſione illius in bonis fratris, reſpectu cujus parens non privatur proprietate, per tranſitum ad ſecunda vota. Et ita *Salic. d. auth. Ex teſtamen. paulo poſt princ. ſuper verb. Pervenerunt*, intelligit quando immediate pervenerunt, dicens cetera bona, quæ ex paterna ſubſtantia profecta ſunt, pleno jure pertinere ad matrem, nec teneri ea reſervare. Et in propriis terminis tenent hanc ſent. *Corneus conſ. 286. n. 3. lib. 1.* referens Imolam, & Florianum idem conſuluiſſe. *Boerius deciſ. 192. n. 3. Garronis dict. auth. Ex teſtamento, in nova edit. n. 41. & ſeqq. notab. 7.* dicens, *n. 42.* ſic tenuiſſe plurimos DD. Avinionenſes, & ita fuiſſe ſententia judicum deciſum, *Barboſa l. Poſt dotem, 41. num. 76. fine, ff. ſolut. matrim.*

23 Nono infertur, quid dicendum ſit de bonis, quæ pervenerunt ad filium ex ſubſtantia avi, aut aliorum aſcendentium, præter patrem, aut matrem, an parens ſuccedens filio in ea ſubſtantia, avita amittat proprietatem tranſiens ad ſecundas nuptias, & teneatur reſervare filiis prioris matrim. Affirmant *Matienzo lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 15. & P. Molina to. 1. de juſtit. tract. 2. diſp. 163. col. 3. notab. 3.* quod ea bona a parentibus profecta ſint. At dicendum eſt contrarium. Quia textus allegati nu. 18. de bonis, quæ ex ſubſtantia paterna venerunt ad filium, loquuntur; & in materia hac pœnali, nomine ſubſtantiæ paternæ, minime claudi debet avita. Item, quia per tranſitum illum ad ſecundas nuptias, injuria principaliter infertur memoriæ conjugis præmortui, non autem aliis aſcendentibus. Et ideo ita tuentur *Bartolus auth. Ex teſtamento, n. 2. C. de ſecund. nupt. Angelus Inſtit. de SC. Tertull. §. Præferuntur, n. 15. verſ. Quid autem, Matheſ. de ſucceſſ. ab inteſtato, ar. 2. princ. membr. 1. n. 21. & ibi Bolog. in addit. num. 30. Guillel. Bened. cap. Raynut. de teſt. v. Et uxorem, deciſ. 5.* ubi de ſucceſſion. ab inteſtato, *n. 87. Boerius deciſ. 192. n. 5. Greg. Lop. l. 26. verb. Fincan, t. 13. p. 5. Garron. dict. auth. Ex teſtamento, in nova edit. poſt notab. 7. n. 43. Anton. Gom. l. 14. Tauri n. 2. Villalob. in ſuis comm. opin. lit. B. n. 39. Anton. Gabriel tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de ſecund. nupt. concl. 3. n. 16. Azebedo lib. 5. recop. t. 1. lib. 4. n. 43. & t. 9. l. 6. n. 3.* Addunt *Garronis, ibi, & Azebedo eadem lib. 4. n. 43.* hoc habere verum, licet contemplatione patris fuerint hæc bona acquiſita filio, itaut ſint ipſius filii. Quod verum eſt, juxta ea, quæ diximus n. 17.

24 Ultimo infertur a fortiori in bonis, quæ aliunde provenerunt filio, quam ex ſubſtantia parentum, ut quæ ab extraneo accepit, aut propria induſtria comparavit, ſuccedere pleno jure parentem tranſeuntem ad ſecundas nuptias, quoad proprietatem, & uſumfructum: & nil ex eis reſervari, conſtat ex dictis n. præced. Et expreſſe deciditur, *l. Mater 5. C. ad Tertul. & auth. de nupt. §. Hinc nos alia, verſ. Sed quanta quidem, col. 4.* & tradunt omnes. Difficultas autem eſt, an hoc indiſtincte procedat, ſive ſucceſſio in illis bonis filii mortui præcedat ſecundum parentis conjugium, ſive illud ſequatur? Et ratio dubitandi eſt, quia quamvis circa bona paterna, quæ ſuperſtes conjux ex ſucceſſione filii habuit, nil referat, ut ea teneatur reſervare filiis prioris matrim. ſive tranſeat ad ſecundas nuptias ante mortem, ac ſucceſſionem filii, ſive poſt (ut diximus n. 18.) quia ita expreſſe deciditur *auth. de nuptiis, §. Hinc nos.* At quando bona, in quibus ſuccediтur, ſunt extrinſecus a filio acquiſita, id non deciditur ibi. Imo *gloſſ. dict. l. Mater, v. Conjugum*, dicit multum referre, an nubat mater poſt mortem filii, cui in his bonis ſucceſſit: vel ante illam: in priori enim caſu ait ſuccedere pleno jure in illis bonis, in poſteriori autem, in ſolo uſufructu, reſervata proprietate filiis prioris matrim. Et Gloſſam ſequuntur *Bart. ibi, num. unic. Faber ibi, Paulus num. 2. Præpoſ. rubr. de ſecund. nupt. in fin.* Et *Jo. Lupus rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 50. in fine*, dubius cogitandum relinquit. Et *additionator ibi verſ. Adde quod judicio meo*, ſequitur prædictam diſtinctionem: quam ſibi non diſplicere ait *Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 3. n. 44.* Et probant ex *dict. l. Mater*, ubi textus loquitur de matre tranſeunte ad nuptias poſt filii obitum, & diſtinguit inter bona paterna, & aliunde acquiſita, ut in paternis ſolo uſufructu gaudeat, in aliis vero pleno jure. Ergo a contrario ſenſu, non gaudet hoc pleno jure, quando ante filii obitum ſecundo nubit. Et *leg. Feminæ, §. Illud, C. de ſecund. nupt.* eadem diſtinctio adhibebatur. Ceterum in utroque eventu, nempe, ſive parens ſecundo matrim. copuletur ante mortem filii, ſive poſt, multo verius eſt, eum ſuccedere pleno jure quoad proprietatem, & uſumfructum. Per *auth. de nuptiis, §. Hinc nos alia, verſ. Et quanta quidem*, ibi, *Et quanta quidem, quæ ex paterna ſubſtantia ad filium pervenerunt, eorum ſolummodo habet uſum, ad ſecundas omnino ſive prius, ſive poſtea veniens nuptias: in reſiduis vero omnibus rebus, quæ aliunde erant filio præter paternam ſucceſſionem, veniat ſecundum vocationem noſtram.* Per quod corrigitur diſtinctio, quæ colligitur ex *d. leg. ſi Mater.* Et ita ſuſtinet *gloſſ. eodem §. Hinc nos, v. Si autem, & verb. Et hæc dicimus.* Et *ibi Bart. n. 1. verſ. Et ſic illud Item Bart. auth. de non eligendo ſecundo nubentes, §. Cum igitur, n. 8. collat. 1.* Et *ibi Angel. de Peruſio, in princ. n. 7. Idem Angelus dict. l. Mater, nu. 8. & repet. ejuſdem legis, n. 8. & ibi Corneus n. 3. Cynus auth. Ex teſtamento, n. unic. C. de ſecund. nupt.* Et *ibi Garronis in nova edit. n. 4. & notab. 6. n. 37.* Et *auth. Eiſdem pœnis, n. 12. C. eod. tit. Ripa l. Feminæ, §. Illud, in nova edit. n. 2. dub. 2. C. eod. tit. Guillel. Bened. c. Raynut. de teſtam. v. Et uxorem, deciſ. 5.* ubi de ſucceſſ. ab inteſtato, *n. 86. Anan. conſ. 73. in fin. Mattheſ. tract. de ſucceſſ. ab inteſtato, art. 2. principali: & ibi Bologn. in addit. Boerius deciſ. 190. fin. Ciſuentes l. 15. Tauri, col. 1. n. 2. verſ. Sed dubitatur, Matien. lib. 5. recop. l. 3. gl. 2. n. 15.*

25 Omnia autem prædicta intellige, quamvis filii non ſint hæredes conjugis defuncti, eo quod hæreditati renunciarint: adhuc enim conjux ſuperſtes tranſiens ad ſecunda vota tenetur illis reſervare bonorum proprietatem, quæ a defuncto conjuge acquiſivit: & hoc, niſi filii repellantur a ſucceſſione ratione ingratitudinis. Sic habetur expreſſe *auth. Hæres, C. de ſecund. nupt.* ibi: *Hæredes lucro cedunt liberis, licet hæredes non ſint patris, aut matris, aut utriuſque, niſi fuerint ingrati; & probetur ingratitudo.* Et ratio eſt, quia in tali renuntiatione conſideratur facultas ſuccedendi ratione ſanguinis, quæ per eam tollitur, *c. Quamvis pactum, de pactis, in 6.* deberi ea lucra filiis prioris matrim. provenit ex diſpoſitione legis. Quare hoc eſt verum, quamvis ea renunciatio jurejurando firmata ſit, cum eadem ratio militet. Sic *Oldrad. conſ. 294. n. 3. Boerius deciſ. 185. n. 18.* Intellige tamen, quando poſt renunciationem illud lucrum ſupervenit; ſecus ſi renunciationis tempore jam acquiſitum eſſet, quod generalis renunciatio extendatur ad lucrum tempore renunciationis jam delatum. Sic tradunt *Decius conſ. 206. in fin. vol. 2. & rubr. C. de ſecund. nupt. n. 9. Ripa leg. Feminæ in princ. q. 9. n. 19.* licet aliquantulum dubius: ubi quæſtionem hanc latius diſputat, *C. de ſecund. nupt.* Quando autem ſunt ingrati, & ratione ingratitudinis a ſucceſſione expelluntur, ideo non habet locum hæc reſervatio (ut ait *Angelus repetit. l. Mater, nu. 4. C. ad Tertul.* (Quod ingrati habeantur ac ſi non exiſterent, ſed mortui eſſent, *§. Quoniam infirmos, v. Ubique tamen, Inſtitut. de nuptiis.* Unde infertur nec eſſe locum huic reſervationi, quando filii alia ratione incapaces eſſent, ut ſi profeſſi eſſent in ordine Minorum. Eſt enim eadem ratio, cum tanquam mortui habentur. Et in ſimili diximus diſp. præc. n. 3. Et tenent *Ripa dict. leg. Feminæ, in princ. in nova edit. nu. 15. q. 8.* Qualis autem ingratitudo filiorum exigatur, ut huic reſervationi locus non ſit, & quis tunc ſuccedat, conſulendi ſunt *Guilliem. Benedict. cap. Raynutius, de teſtam. v. Et uxorem, deciſ. 5.* ubi de ſucceſſ. ab inteſtato, *nu. 84. Et Garron. auth. Et teſtamento, in nova edit. notab. 11. & 12. num. 60. & multis ſeq. C. de ſecund. nupt.*

26 Ex 3. conditione ad hanc reſervationem petita, nempe, ut bona ſint a conjugis defuncti ſubſtantia ſuperſtiti parta titulo lucrativo, deducitur acquiſita titulo oneroſo, ut ex contractu, effici conjugi ſuperſtiti omnino propria, nec proprietatem amitti per ſecundas nuptias, conſtat ex *leg. Feminæ, in princ. C. de ſecun. nupt.* ibi: *Donationibus factis, vel cujuslibet munificæ li-*

beralitatis præmio. Et ex *auth. Hoc lucrum, C. eod. tit.* ubi bona reſervanda filiis prioris matrim. appellantur lucra, at ſola acquiſita titulo lucrativo ſunt digna hoc nomine. Et tradunt paſſim omnes Doctores, nemine dubitante.

27 Utrum autem arrhæ, donatio remuneratoria, ſponſalitia largitas a priori viro habita, cenſeantur ex contractu oneroſo acquiſita, ut ſic non ſint, matre ſecundo nupta, reſervanda filiis prioris matrim. dixi late lib. 6. diſp. 41. per totam. Et quid dicendum ſit de veſtibus vidualibus, ac lecto quotidiano habitis ex bonis conjugis defuncti: dixi hoc 7. lib. diſp. 87. n. 31. & 32.

28 Imo in iis, quæ filius habuit a parente defuncto ex titulo oneroſo, ſuccedit conjux ſuperſtes tranſiens ad ſecundas nuptias pleno jure, nimirum, in proprietate & uſufructu, nec tenetur reſervare filiis prioris matrim. Quia hæc bona cenſentur omnino propria filii, nec acquiſita ex patris ſubſtantia, ſed inſtar extranei per contractum ea acquirentis. Sic tradit *Garronis auth. Ex teſtamento, in nova edit. notab. 10. fine, num. 29. C. de ſecund. nupt.*

29 Secundo deducitur, quid ſentiendum ſit de lucris acquiſitis conſtante matrimonio, quæ attenta lege, ſunt communia utrique conjugi: an conjux ſuperſtes, ad ſecundum matrim. migrans teneatur medietatem illorum lucrorum, quam ſibi acquiſivit, reſervare filiis prioris matrim. ac ejus proprietatem amittat? Et quid ſi ſolum jus commune ſpectemus, aliqui affirmant reſervari, quod titulo lucrativo cenſeantur acquiſita. Sic tradunt *Ciſuentes l. 14. Tauri, nu. 1. Minchaca de ſucceſſ. creatione, l. 1. §. 1. nu. 25. fine.* Ceterum tenendum eſt contrarium. Quia cenſentur dicta bona labore, ac induſtria utriuſque conjugis acquiſita: & ſic titulo potius oneroſo, quam lucrativo deferuntur. Cum enim utrique conjugi lucra, & jacturæ communia ſint, contractus potius eſt oneroſus, quam lucrativus. Nec obſtat poſſe evenire ſola conjugis defuncti induſtria parta eſſe, quod id per accidens ſit: & ſufficiat poſſe eventum ſe habere ad lucrum, & jacturam, *l. De fideicommiſſo, C. de tranſact.* Et ita docent *Ripa l. Feminæ, in prin. in nova edit. q. 22. n. 59. C. de ſec. nupt. Jo: Lupus l. 14. Tauri, n. 5. & ibi Caſtillo n. 2. Tello ibi nu. unic. Aveadanno ibi gl. 2. n. 4. Gom. Arias l. 12. Tauri nu. 3. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 8. Pinell. l. 1. p. 2. n. 37. C. de bonis matern. Jo: Garcia de conjugali acqueſtu, c. 13. n. 17. Gutier. lib. 2. pract. q. 95. n. 21. Azebedo lib. 5. recop. t. 9. l. 6. nu. 1. & ibi Matienzo gl. 2. n. 2.* Addit *Pinell. ibi* idem eſſe, ſi attenta ſola conſuetudine ea lucra eſſent communia, quod placet ob eamdem rationem. Quamvis *Tello proxime alleg.* dicat ſe non omnino id affirmare. Quia poteſt eſſe titulus ille lucrativus, quamvis conſuetudo ſit utrique conjugi communis. At quidquid ſit de jure communi, de jure hujus regni deciſum eſt *l. 14. Tauri, hodie l. 6. tit. 9. l. 5. novæ recop. reg.* medietatem illam lucrorum effici omnino conjugis, nec per tranſitum ad ſecundas nuptias reſervari filiis prioris matrim.

30 Ultimo infertur, quid ſentiendum ſit de aliis bonis, quæ conjux ſuperſtes lucratur ex patrimonio defuncti, ita diſponente lege, ſtatuto, aut conſuetudine? Ut ſi lex deferat conjugi ſuperſtiti ex bonis alterius conjugis aliquam partem. Aliqui cenſent ea bona non reſervari, quod ea non conſequatur conjux ſuperſtes a defuncto, ſed ex legis providentia, ac diſpenſatione. At textus decernentes hanc reſervationem, loquuntur de acquiſitis ex mariti liberalitate, ut conſtat ex *l. Feminæ, in princ. C. de ſecun. nupt.* Quod in hoc lucro verificari nequit, cum acquiratur etiam altero conjuge invito: nec in neceſſitate cenſeatur quis liberalis, *l. Relegatum, ff. de adim. legat.* Quæ ſententia valde probabilis eſt, & eam ſuſtinent *Baldus l. final. in fin. C. de bonis, quæ liberis, & ibi Corneus in fin. Idem Corneus auth. Ex teſtamento, n. 9. C. de collat. Aretinus l. Si ab hoſtib. §. fin. ff. ſolut. matrim. Signorol. Barbarius, Franc. Pepus*, quos refert *Menoch. conſ. 155. n. 32. vol. 2. Montalv. l. 3. fori, t. 1. l. 13. in fine, Caſtillo l. 14. Tauri, n. 2. & ibi Ant. Gom. n. 3. Arias l. 12. Tauri n. 16. & 17. Segura de bonis lucr. conſtante matrim. n. 86. Greg. Lop. l. 26. v. Las arras, t. 13. p. 5.* Et in hanc inclinat, quamvis dubius, *Jo: Lupus lib. 14. Tauri n. 7.*

31 At verior ſententia habet, ea lucra reſervari filiis prioris matrim. conjuge tranſeunte ad ſecundas nuptias. Quippe titulo lucrativo acquiſita cenſentur, cum matrim. occaſione abſque alterius conjugis opera, & induſtria comparentur. Item, quia etſi in tali lucro non appareat liberalitas, eſt utique, nam mulier a principio dans dotem videtur conſentire huic lucro poſtea ſecuto. Item, quia hoc lucrum dicitur matrim. cauſa acquiſitum. At *l. Feminæ, in princ. C. de ſec. nupt.* dicitur, *Quidquid nuptiarum ſolemnitate.* Unde non dicitur acquiſitum ex cauſa oneroſa, conſiderata cauſa immediata, & proxima, quæ eſt ipſum matrim. Atque ideo hanc partem tuentur *Bart. l. unic. num. 2. 2. verſ. Item poſſumus, C. de inoffic. dotibus, Bald. auth. Ex teſtamento, n. 6. C. de ſec. nupt. Decius lib. 1. n. 17. & 18. C. eod. tit. Bertrandus l. Hac edictali, n. 41. C. eod. tit. Chaſſanæus de conſuet. Burgundiæ, rubr. 7. §. 7. num. 1. Berojus deciſ. 185. n. 7. & 8. Guillelm. Benedict. cap. Raynut. de teſtam. v. Et uxorem, deciſ. 5.* ubi de ſucceſſione ab inteſtato, *n. 87. & verb. Qui cum alia, nu. 205. Garronis dict. auth. Ex teſtamento, in nova edit. n. 86. & ſeqq. Cremenſis* referens quoddam *Ant. de Butrio conſilium ſingulari ult. Ripa dict. l. Feminæ, in princip. in nova edit. q. 23. n. 61. Nicol. Arelat. l. Generaliter, n. 49. & multis ſeqq. C. de ſec. nupt. Silva nuptialis lib. 2. v. Diviti non eſt nubendum, n. 76. Jo: Lupus rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 50. num. 35. Bertach. in ſuo reperto. lit. V. v. Uxor ſecundo nubit, verſ. Uxor ſecundo nubens, Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 7. Pinell. l. ult. n. 2. C. de bonis matern. Villalobos in ſuis commun. opin. lit. B. n. 42. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 12. n. 182. Paulus, & Alciatus*, quos cum aliis refert & ſequitur *Matien. lib. 5. recop. t. 9. l. 6. gl. 2. n. 3. Joan. Garcia de conjug. acqueſtu, nu. 8. & de expenſis, c. 13. n. 17. Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 27. & lib. 3. num. 2. Gutier. lib. 13. pract. qu. 95. num. 20. Avendanno lib. 14. Tauri, gl. 2. nu. 4. Lud. Lop. 2. part. inſtruct.* ubi de matrim. *c. 41. col. 3.*

32 Idem dicunt aliqui de eo, quod conjux lucratur ex pacto mutuo inter ſeipſos inito, ut ſuperſtes altero defuncto lucretur certam alterius bonorum partem. Sic *Boerius, Guillelm. Bened. utroque loco, Garronis, Jo: Garcia utroque loco*, relati, *num. præced.* At ab his diſcedit *Ripa l. Feminæ, in prin. qu. 17. num. 39. C. de ſecund. nupt. in nova edit.* Et in hanc partem quamvis dubius magis inclinat *Jo: Lup. lib. 14. Tauri n. 7.* Quod non ſit mera donatio, vel merum lucrum, ſed magis conventio reciproca, & quaſi permutatio inter conjuges facta. Atque ita ſic acquiſitum, ex vero titulo oneroſo proficiſcitur. Et hoc mihi placet.

33 Quidquid tamen ſit de hac quæſtione, illud eſt certum, quartam conjugis defuncti bonorum partem debitam ſuperſtiti paupertate laboranti, juxta *auth. Præterea, C. unde vir, & l. Regiam 7. t. 13. p. 6.* reſervari filiis prioris matrim. Quod habet verum, quamvis non tranſeat conjux ille ſuperſtes ad ſecundas nuptias. Quia hoc non inductum eſt in pœnam ſecundarum nuptiarum: ſed quia *eadem auth. Præterea*, quæ in hoc conſuluit paupertati conjugis ſuperſtitis, ſimul decidit reſervari filiis prioris matrim. ibi: *Ut tamen ejuſdem matrimonii liberis proprietatem ſervet, ſi extiterint.* Et notat *Angulo de meliorat. l. 2. gloſſ. 1. nu. 7.* Qui conſulendus eſt de ea quæſtione, an ſit hæc quarta ex quinto bonorum extrahenda, an potius tanquam debitum legale ex tota hæreditate, *l. 9. gl. 2. n. 50. & multis ſeqq.* Et an debeatur conjugi pauperi habenti patrem, aut filios divites, a quibus poſſit petere alimenta: conſulendi ſunt *Gregor. Lopez l. 7. t. 13. p. 6.* & late *Barboſa, l. Maritum 13. n. 99. ff. ſolut. matrim.*

34 Circa ultimam conditionem, nempe, ut ſuperſint filii ex priori matrim. certum eſt, conjugem tranſeuntem ad ſecundas nuptias non amittere proprietatem bonorum a conjuge defuncto ſibi relictorum, ſi ex eo matrim. filii non ſint ſuſcepti. Conſtat ex *l. Feminæ, in princ. C. de ſec. nupt.* ibi: *Feminæ, quæ ſuſceptis priori matrimonio filiis.* Et *auth. de nuptiis, §. Si vero expectat, collat. 4.* ibi: *Si quidem non habeat filios, ſine periculo eſt totum ex hoc* Et *eadem auth. 4. Primæ ſi quidem, verſ. Si igitur*, ibi: *Si igitur, ſine filiis manſerint, & l. Generaliter, in prin. C. de ſec. nupt.* ibi: *Liberis communibus.* Et ratio eſt, quod id in favorem liberorum primi matrim. inſtitutum ſit: & ideo non ſuſceptis illis ceſſat favor. Nec habet locum etiamſi conjux defunctus ex alio matrim. liberos relinquat, non enim tenetur ſuperſtes ea bona illis reſervare. Quia *dict. l. Feminæ*, loquitur de femina, quæ habens liberos ex priori matrim. ad aliud tranſiit. Et *l. Generaliter*, quando liberi communes extant, qui hic deficiunt. Atque ita docent *Corneus conſ. 242. nu. 6. fin. vol. 2. Ripa l. Feminæ, §. Illud, num. penult. dub. 4. C. de ſec. nuptiis.*

35 Difficultas autem potiſſima circa hanc ultimam conditionem eſt, an conjux tranſiens ad ſecundas nuptias ſuccedat pleno jure abſque obligatione reſervationis, in bonis a conjuge defuncto profectis, ac ſibi acquiſitis, quando filii ſuſcepti ſunt ex priori matrim. at omnes abſque prole obierunt? Quibuſdam placet conjugem in ſolo uſufructu ſuccedere, ac proprietatem, quæ ad ultimum filium defunctum pertinebat, transferri ad hæredes illius filii ab inteſtato. Quia *l. Feminæ, & l. Generaliter, C. de ſecund. nupt.* petunt liberos ſuſceptos eſſe ex priori matrim. Quod hic verificatur: atque ita jam plene irrogata eſt injuria priori viro, ac filiis ejus matrim. ratione cujus privatio hæc inducitur: & cum ſuperfuerint ex matrim. illo filii, & per tranſitum parentis ad ſecundas nuptias privetur ea proprietate parens ille, non eſt cur ob mortem filiorum poſtea ſecutam conſolidetur proprietas ſemel amiſſa cum uſufructu per parentem retento, atque redeat ad ipſum. Sic ſuſtinent *gloſſ. auth. Ex teſtamento, v. Filii, C. de ſec. nupt. Corneus* latiſſime probans *conſ. 242. n. 6. vol. 2.* licet aliquantulum dubius. *Lud. Roman. conſ. 279. fin. Pontanus, & Reginald.* & duo alii cauſidici Romani, ut eos refert *Garronis dict. auth. Ex teſtamento, in nova edit. n. 46.*

36 Aliis arridet diſtinctio hæc. Si filii hærede non inſtituto, ſed ab inteſtato decedant, ſuccedet parens ſecundo conjugatus in ea proprietate: ſecus autem ſi filius ultimo defunctus hæredem inſtituerit: tunc enim ille ſuccedet in ea proprietate. Nec obſtat ceſſaſſe filiorum favorem, quod eodem tempore militet alia cauſa, videlicet, ultimum filium legitime teſtatum eſſe: ac hæredem ab eo inſtitutum repræſentare ejus perſonam. Præterea, quia non ſolus filiorum favor eſt cauſa hujus reſervationis, ſed etiam injuria illata viro, & filiis, per poſterius matrimonium. Sic tenent *Bologn. addit. ad Mattheſil. de ſucceſſ. ab inteſtato, art. 2. princ. memb. 1. n. 22. Garron. rub. C. de*

ſecund.

ſecund. nupt. in nova edit. remed. 3. ad evitandas pœnas ſecundo nubent. n.124. & auth. Ex teſtam. num. 79. C. eod. tit.

37 Sed tenendum eſt, ſuccedere tunc parentem pleno jure, ac proprietatem conſolidari cum uſufructu. Quia liberis mortuis ceſſat eorum favor, qui potiſſima hujus reſervationis cauſa eſt. Secundo, quia paria ſunt, nullos ex priori matrimonio liberos ſuſcepiſſe, & habuiſſe, ſuperſtite tamen parente defunctos eſſe, ut conſtat ex l. Feminæ, §. Illud, ad fidem, C. de ſec. nupt. ibi: Quod ſi nullam ex priori matrim. habuerit ſucceſſionem; vel natus native deceſſerint. An in priori caſu conſtat matrem pleno jure ſuccedere. Idem ergo in poſteriori dicendum eſt. Tertio, quia §. Quoniam infirmas, auth. de nupt. generaliter loquitur, nec diſtinguit, an filii teſtati ſint, an ab inteſtato obierint, ibi: Si vero moriantur omnes. Præterea quia eod. §. ſic dicitur: Quis enim hoc etiam infringat, filiis quibus ſolis hoc ſervavimus, non exiſtentibus? Ubi textus vult indiſtincte nemini licere liberis præmortuis infringere alienationem prædictorum lucrorum factam a parente, qui per ſecundas nuptias eorum proprietate privatus erat. At ſi hæres filii in ea ſuccederet, poſſet utique revocare. Deinde idem probat idem textus, ibi: Quibus ſolis hæc ſervavimus. Tandem probatur ex l. Hac edictali, §. His illud, verſ. Hoc quoque caveat, C. de ſec. nupt. ponderando rationem, quam reddit ille textus, ibi: Ut ad eamdem lucrum redeat luctuoſam. Quæ ratio militat generaliter, ſive teſtatus, ſive inteſtatus deceſſerit filius: nimirum, ne parenti ob mortem filiorum afflicto ulterior addatur afflicto, privando illum eo proprietatis lucro amiſſo, quod luctuoſe reſtauravit ob filiorum interitum. Nec obſtant rationes oppoſitæ adductæ nu. præced. Non prima: nam hæres non vere repræſentat defuncti perſonam, utpote, qui vere diſtincta perſona eſt: ſed tantum fit. Quod clare denotat auth. de jurejur. a morien. in princ. dum ait hæredem quodammodo videri eamdem perſonam cum defuncto. Nam dictio, quodammodo, improprietatem importat, l. In ſuis, ff. de liber. & poſth. unde cum hoc ſit per fictionem, & improprie, non debemus in re hac juris privante, & pœnali, extendere verba legis propria ad impropria ſive ficta; eo vel maxime quod textus utitur dictione, Solis, quæ excluſiva eſt. Nec obſtat etiam ſecunda ratio, Quia duplex eſt hujus deciſionis ratio ita conjunctim requiſita, ut neutra ſola ſufficiat: nempe, injuria illata ob ſecundas nuptias, & filios ſuperſtites eſſe, quorum favori proſpicitur: Quare ſicut ceſſante injuria ob filiorum remiſſionem ceſſat hæc reſervatio (ut nu. 43. dicemus) ita ceſſare debet ceſſante eorum favore, iis omnibus defunctis. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent Bart. conſil 54. fine, vol. 1. & auth. de non eligen. ſecundo nubentes, §. Hos autem, n. 1. & 2. collat. 1. auth. de nupt. collat. 4. §. Ingratitud. n. 1. & §. Primæ ſiquidem, n. 1. & auth. Ex teſtam. n. 1. C. de ſecund. nupt. & ibi Bald. n. 2. Et Alex. ibi, in addit. ad Bald. v. Nupſit, Salicet. ibi ſtatim in princ. idem Bald. conſ. 42. n. 3. vol. 3. Anch. c. fin. n. 9. q. 2. de ſecund. nupt. & ibi Alex. de Nevo nu. 7. Decius c. Eccleſia, in nova edit. num. 124. verſ. Item intelligitur, de conſtit. Angel de Peruſia auth. de non elig. ſecun. nub. in fin. Angel. de Aretio Inſtit. de SC. Tertul. §. Præferuntur, n. 16. verſ. Item dubitari poteſt, Ripa l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 4. n. 5. & §. Illud, n. penult. in fin. C. de ſecund. nupt. Nicol Arelat. l. Generaliter, n. 106. C. eod. tit. Ananias conſ. 101. nu. 2. & ibi Bolog. in addit. in fin. Alex. conſ. 68. n. 4. vol. 4. Ruinus conſ. 8. num. 18. & conſ. 21. n. 2. vol. 3. Franc. Aretin. conſ. 40. n. 4. Boerius dec. 185. n. 17. Guillel. Bened. c. Raynut. de teſtam. v. Et uxorem, dec. 5. ubi de ſucceſſ. ab inteſtato, nu. 81. Ant. de Roſell. de ſucceſſ. ab inteſtato n. 195. (habetur 8. to. tract. part. 1.) Fabian. auth. Noviſſima, q. 12. princ. ad fin. C. de inoffic. teſtam. Matheſ. de ſucceſſ. ab inteſt. art. 2. prin. memb. 1. n. 18. & ibi Bolog. in addit. Anton. Gomez l. 14. Tauri, n. 1. Tello l. 6. Tauri, n. 19. fin. Villal. in ſuis comm. opin. lit. B. n. 40. Matien. lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 15. Zavallos in ſuis q. pract. q. 671. n. 11. Idem eſt dicendum, quando ſupereſſet filius unicus, vel plures, ſed omnes incapaces: perinde enim eſt; ac ſi mortui eſſent, ut dixi n. 25. ubi etiam egi, quid ſi filii non ſint hæredes, vel eſſent ingrati. Quod ſi omnes objerint filii ſuperſtite nepote, an ſit locus huic reſervationi, diximus num. 12. ubi explicuimus quando avi teneantur nepotibus hæc bona reſervare.

38 Eſt autem abſque controverſia, deficientibus omnino filiis, minime eas pœnas remitti, quæ non in filiorum favorem ſtatutæ ſunt. Ut ſecundo nuptam non retinere prioris viri dignitatem: non debere alii ab hæredibus viri: juxta dicta diſp. 78. d. 30. perdere legatum relictum ſub conditione abſtinendi a ſecundis nuptiis. Quia cum filiorum favori in his minime proſpectum ſit, nil refert vita filiorum, ut incurrantur. Garron. rub. C. de ſec. nupt. in nova edit. remed. 4. contra pœnas ſecundo nubentium, n. 125.

39 Ex his infertur explicatio ad lib. 6. Tauri, hodie l. 1. t. 8. l. 5. novæ recop. Regiæ, in qua diſponitur poſſe filium deſcendentibus carentem; diſponere de tertia bonorum ſuorum parte in aſcendentium præjudicium. Et hoc eſt verum, licet ſit filiusfamilias, pubes tamen, l. reg. 5. Tauri, hodie l. 5. novæ recop. t. 4. l. 4. Poterat enim dubitari, an 3. hæc pars computanda ſit, attentis ſolis bonis, quæ ejus filii omnino propria ſunt: an potius extrahenda quoque ſit de bonis paternis, in quibus ſucceſſerat parens, quorum proprietatem retento ſolo uſufructu amiſerat per tranſitum ad ſecundas nuptias: ita ut comprehendatur quoque 3. illa pars ejus proprietatis? Pars enim affirmans inde ſuaderi videtur. Quippe filius familias in bonis adventitiis ſolam habeat proprietatem, & tamen cum teſtatur de tertia bonorum parte, ſolum diſponere poteſt de proprietate illius tertiæ partis, retento patri uſufructu dum vixerit, conſolidando poſt ejus mortem cum illa tertia proprietatis parte (ut communiſſima, ac veriſſima ſententia habet) Ergo cum ſimiliter parens tranſiens ad ſecundas nuptias ſolum uſumfructum habeat in bonis paternis, ac proprietas filiorum ſit: dum filius de 3. bonorum parte teſtatur, ea tertia pars deducenda quoque erit ex illa proprietate, & uſufructus illius erit apud parentem, dum ſuperſtes fuerit: redibitque poſt ejus obitum ad hæredem illius 3. partis. Sed dicendum eſt, non deduci ex illa 3. parte proprietatis, ſed ex ſolis bonis propriis filii: & per mortem filii proprietatem, quam habebat in bonis paternis, quam parens ob ſecundas nuptias amiſerat, pertinere omnino ad parentem, qui illa privatus fuerat: juxta ea, quæ n. 22. diximus, quod valde diverſa ratio ſit. In caſu enim in argumento allato pater non privatus eſt proprietate aliqua adventitiorum, quæ ad ſe pertinere debebat, in favorem filiorum: ſed ea bona ſunt omnino filiorum, & ad ipſos pertinentia, ſolumque uſumfructum retinet pater ratione patriæ poteſtatis: & ideo poteſt filius teſtari de tertia illius proprietatis parte, reſervato tamen patri uſufructu dum vixerit. At in caſu noſtro proprietas, & uſusfructus ad parentem jure pertinebant, utpote qui in illis bonis ſucceſſit: privatus autem eſt per ſecundas nuptias proprietate, in favorem ſolum filiorum prioris matr. quibus illa reſervatur; atque adeo cum ipſis deficientibus ceſſet favor ille, conſolidatur ea proprietas cum uſufructu, atque redit ad parentem, qui ea privatus fuerat. Quod bene docet Guillel. Bened. c. Raynutius, de teſtam. v. Et uxorem, deciſ. 5. ubi de ſucceſſione ab inteſtato, nu. 85. Quod ſi in contrarium urgeas. Quamvis jure communi attento filiusfamilias teſtari non poterat, at concedebatur ſibi teſtari de lucris, quorum proprietatem habet per tranſitum patris ad ſecundas nuptias, per textum auth. de nupt. §. Venient autem, v. Diſponant, & v. Inteſtati decedant, junct. l. 1. in princ. ff. de ſuis, & legit. hæred. Et tradit Alex. l. 1. §. Hoc autem, n. 7. ff. ad Trebel. l. fin. n. penult. C. qui teſtam. facere poſſunt. Sed dic illa jura non ſimpliciter concedere filiofamilias poteſtatem teſtandi de illis lucris, ſed ſolum diſponendi quibus portionibus inter filios debeat fieri diviſio, ut bene tradunt Jaſon eadem l. fin. n. 5. limit. 1. Garron. rubr. C. de ſecund. nupt. in nova edit. n. 53. pœna 27.

40 Tandem id advertendum eſt. Si parens, qui ad ſecundas nuptias tranſiit, & ob id in bonis, quæ ex ſubſtantia alterius conjugis habuit, ſolum uſumfructum retineat: decedat fructibus nondum perceptis, ii fructus pertinebunt ad filios prioris matrim. quorum erat proprietas illorum bonorum. Quia uſufructuarius non tranſmittit ad hæredes fructus nondum perceptos, nec illos facit ſuos, l. Si ſur, & l. Defuncta, ff. de uſufructu, l. Si uſufructuarius meſſem, ff. quemadmodum uſusfructus amittatur, & §. Is vero, Inſt. de rer. diviſ. Sic docent Chaſſ. in conſuet. Burg. rubr. 6. §. 7. fin. Avend. reſp. 5. n. 7. verſ. Ex iſta concl. Azeb. lib. 5. recop. t. 1. l. 4 n. 56.

SUMMARIUM.

An ſi filius in teſtamento vel codicillo relinquat parenti bona, quæ ab altero parente defuncto habuit, vel donet ei inter vivos, teneatur hic parens tranſiens ad alias nuptias, reſervare proprietatem filiis prioris matrim. n. 41.
Quid, ſi poſt mortem illius filii tranſeat ad eas nuptias, 42.
Quid, ſi filii conſentiant ſecundi parentis nuptiis, 43.
An ſatis ſit taciturnitas, aut tacitus conſenſus ex aliis conjecturis deprehenſus, vel ratificatio matr. antea initi, 44.
An exigatur conſenſus omnium filiorum, 45.
An ſatis ſit conſenſus nepotum deficientibus liberis, 46.
Quid, ſi filii ſint impuberes, aut jus ſibi ipſis competens ignorent: aut tutor nomine ipſorum conſentiat, 47.
An conſenſus filiorum excuſet parentem a pœnis non in eorum favorem inductis, 48.
Quid, ſi conjux conſentiat, ut ſuperſtes ad ſecundas nuptias tranſeat, 49.
An is conſenſus excuſet quoque nubentem infra annum luctus a pœnis, 50.
An ſat ſit etiam tacita conjugis licentia, 51.
An ſufficiat, ſi leget aliquid illi ſecundo conjugato, 52.
An ſufficiat facultas ampla diſponendi in vita vel in morte de legatis conjugi a ſe relictis, 53.
An conjuge concedente licentiam tranſeundi ad ſecundas nuptias, excuſetur alter tranſiens ad tertias, & ulteriores, n. 54.
An deſideretur ſimul conſenſus filiorum, 55.
Quid, ſi conjux concedens licentiam ignoret damnum, quod filii incurrent ex ea licentia, 56.
An credendum ſit conjugi aſſerenti rem ſuam, quam habet conjux ſuperſtes, eſſe huic acquiſitam titulo onero ſo, 57.
An ſi uxor tranſiens ad ſecundas nuptias ſit minor, teneatur ad hanc bonorum reſervationem filiis prioris matrim. 58.
Quid, ſi ii filii moriantur intra pupillarem ætatem, 59.
An excuſet a pœnis licentia Principis ad tranſeundum ad alias nuptias, 60.

41 Quæ-

41 QUæſtio poſterior. In quibus caſibus parens tranſiens ad ſecundas nuptias eximatur ab obligatione reſervandi bona ex conjugis defuncti ſubſtantia habita, filiis prioris matrim. Aliqui caſus numerantur a DD. Primus eſt, Si filius decedens teſtetur, & inſtituat parentem hæredem bonorum, quæ a parente defuncto conſecutus eſt: tunc parens ille ſuperſtes ad ſecundas nuptias tranſiens ſuccedit plene in illis bonis quoad proprietatem, & uſumfructum: atque poteſt de illis diſponere, ſicut de aliis propriis. Conſtat ex auth. de nupt. collat. 4. §. Hinc nos, verſ. Si igitur, & auth. Ex teſtamento C. de ſec. nupt. ubi hoc expreſſe deciditur: eaque redditur ibi ratio. Quod tunc parens ſic inſtitutus bona illa capiat inſtar cujuſcumque extranei hæredis inſtituti. Sicut ergo ille ſuccederet plene in proprietate, & uſufructu, ita & parens. Et ita tradunt omnes. Atque idem dicendum eſt, ſi filius ille per modum legati vel fideicommiſſi relinquat ea bona parenti. Et conſtat ex §. Hinc nos, verſ. Si igitur, ibi: Ita, & matri relinquens ſive inſtitutionem, ſive legatum. Idem, ſi in codicillo filius parenti relinquat, vel donet inter vivos. Quod in omnibus his eventibus capit parens ex expreſſa filii diſpoſitione, inſtar extranei, atque adeo militet eadem ratio, quæ in ſucceſſione teſtamentaria. Quæ omnia tradunt Garron. dict. auth. Ex teſtam. in nova edit. nu. 11. & triplici ſeq. Ant. Gabr. 3. tom. comm. opin. lib. 3. tit. de ſec. nupt. concl. 3. nu. 20. & tribus ſeq. Et quando per donationem, docent etiam Anton. Gomez lib. 14. Tauri n. 1. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 15. Azebedo eadem lib. 3. num. 4.

42 Difficultas autem eſt, an hoc tantum procedat, quando filius obiit ante ſecundas parentis nuptias? Nam Baldus l. Mater, n. 4. C. ad SC. Tertul. id affirmat. Quia cum filio obeunti, ante ſecundas parentis nuptias, nondum ſit injuria illata, ea non cenſetur remiſſa. Præterea, quia ea l. Mater hac diſtinctione utitur, an filius deceſſerit ante nuptias parentis, an poſt. Ceterum tenendum eſt, eam diſtinctionem, d. l. Mater, eſſe correctam per auth. Ex teſtam. C. de ſec. nupt. ubi indiſtincte deciditur bona, in quibus parens ex filii teſtamento ſucceſſit, non reſervari filiis prioris matrim. eo tranſeunte ad ſecundas nuptias. Quare ita dicendum eſt, ſive ante filii mortem ſive poſt tranſierit. Hæc enim diſpoſitio non innititur remiſſione filii: tunc enim eo obeunte ante ſecundas nuptias, ac proinde illarum inſcio, non poſſet locum habere: ſed innititur ſucceſſione parentis inſtar cujuſcumque extranei. Sicut expreſſe ea redditur ratio, d. auth. Ex teſtam. Quamobrem nil refert, ante poſtve mortem tranſierit. Quare ita docent Bartol. auth. de nupt. §. Hinc nos, n. 1. & auth. de non elig. ſec. nub. collat. 1. §. Cum igitur, nu. 7. ubi & Angelus in princ. n. 7. Idem Bald. dict. l. Mater n. 1. & ibi Paul. n. 2. Corneus n. 3. Garron. dict. auth. Ex teſtam. in nova edit. not. 1. n. 9. & 10. & not. 3. n. 21. & not. 5. n. 22. Ciſuentes l. 15. Tauri n. 2. poſt 4. limit. verſ. In ſecundo caſu quando mater, Villalob. in ſuis comm. opin. lit. B. n. 37. Ant. Gabr. tom. 3. comm. lib. 3. de ſec. nupt. concl. 3. n. 26.

43 Secundus caſus eſt. Quando filii prioris matr. conſenſum præſtitere ſecundis parentis nuptiis. Hunc caſum negat Sarmiento lib. 1. ſelect. c. 4. n. 1. & 2. & concludit nu. 4. quamvis filii ſint Authores ſecundi matrim. parentis, nedum ſi ſolum conſenſum præſtent, teneri parentem reſervare bona illis, niſi expreſſe dicant ſe remittere jus, quod in illis bonis habent. Ducitur autem, quod filii conſentientes ſecundis parentum nuptiis effecerint, quod jure divino, & humano efficere debuerunt, ac impediendo peccato obnoxii forent. Succedit ergo regula, non contradicens actui, qui abſque eo geri poteſt, non cenſetur conſentire, ac nullum ſibi præjudicium parat leg. Cajus, cum ibi notatis, ff. de pig. act. & l. Quæ dotis, ff. ſolut. matrim. & late Tiraq. de retractu lignag. §. 1. gl. 6. n. 149. & ſeq. Deinde, quod optime fecerit filius conſentiens iis nuptiis, ut vel ſic ſuo conſuleret honori, evitans ſuum dedecus, quod ex inhoneſta parentis vita ſibi redundaret. Non ergo juſtum eſt, ut ex pio facto filius detrimentum patiatur. Tandem, quia hæc reſervatio non tam eſt pœna ſecundi matrim. quam favor filiorum. Nil ergo refert, ut illa ceſſet, non inferri injuriam filiis conſentientibus. At neminem alium negantem inveni: & ideo cum communi omnium ſent. affirmandum eſt, quoties filii conſenſere ſecundis parentis nuptiis, ceſſare hanc bonorum reſervationem. Ducor, quod hæc reſervatio rationem pœnæ habeat (ut dixi n. 10.) & ſit inducta ratione injuriæ illis illatæ (ut probavi n. 2.) ceſſante injuria per ipſorum conſenſum (ſcienti enim, & volenti non fit injuria) ceſſabit quoque pœna. Nec obſtant rationes contrariæ. Non prima, quia ſolum probat ſcientiam cum taciturnitate non inducere conſenſum hunc ſufficientem. Quod & nos fatebimur n. ſeq. Non obſtat etiam ſecunda. Quia licet filius optime faciat conſentiens, id damnum reportabit. Sicut dominus annuens ſervi conjugio rem valde meritoriam facit, ac id tenetur non impedire, cum tamen conſentiens id damnum ſuſtineat, ne poſſit ita libere ſervum venundare, ac in domeſticis miniſteriis detinere. At utriſque integrum eſt, id damnum cavere, vitando etiam peccatum: non contradicendo, nec etiam conſentiendo. Quamvis enim teneantur non contradicere, at non tenentur conſentire. Tandem nec 3. ratio obſtat. Quia jam probavimus eſſe pœnam. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent gl. auth. de non elig. ſecund. nub. collat. 1. in princ. v. Copulantur, Angel. ibi nu. 8. & l. Mater, n. 5. C. ad Tertul. & repet. ejuſdem legis, nu. 4. & 8. Romanus ſingul. 248. incipienti: Tuſcis, Socin. reg. 272. fallent. 1. ſtatim in princ. Decius, l. Nemo fraudare, nu. 5. ff. de reg. jur. & conſ. 206. n. 3. vol 2. Cepola cautel. 25. Alex. de Nevo c. fin. n. 7. de ſec. nupt. & ibi Præpoſ. ad fin. Jaſon l. 2. n. 4. C. de indicta vidui, & conſ. 53. n. 1. vol. 1. Ripa l. Feminæ, in princ. in nova edit. q. 14. n. 29. C. de ſec. nuptiis, Cremenſis ſingul. 74. Si maritus legavit, Silva nupt. lib. 2. v. Diviti non eſt nubendum, n. 76. fin. Pariſ. conſ. 29. num. 81. vol. 3. Caſſan. in conſuet. Burg. rubr. 7. §. 7. n. 1. Jo. Lup. l. 32. Tauri n. 38. Boerius deciſ. 185. n. 20. Guillel. Bened. c. Raynutius de teſtam. v. Qui cum alia, n. 210. Nicol. de Ubaldis de ſucceſſ. ab inteſtat. 2. p. q. 4. n. 11. Bologn. addit. ad Mattheſil. de ſucceſſ. ab inteſtat art. 2. princ. membr. 1. n. 19. Ciſuentes l. 15. Tauri n. 2. limit. 1. Caſtillo ibi, col. ult. n. 15. verſ. Unum tam, Garron. rubr. C. de ſec. nupt. in nova edit. n. 116. remed. 2. ad evitandas pœnas ſecundo nubent. Gualdenſ. de arte teſtandi, t. 6. caut. 18. n. 3. Roland. conſ. 81. n. 13. vol. 3. Crottus repet. l. 1. n. 90. ff. ſolut. matrim. Ant. Gabr. tom. 3. comm. opin. lib. 3. tom. de ſec. nupt. concl. 3. n. 36. & concl. 6. n. 3. & concl. 1. n. 33. Simon. de Pratis de interpr. ult. volunt. lib. 1. interpr. 1. circa legata, dub. 10. n. 120. Menoch. conſ. 153. n. 13. multos referens vol. 2. Padil. l. Cum donat. num. 5. C. de tranſact. Perez lib. 5. Ordinam. t. 1. l. fin. fol 54. verſ. Item tenetur, Matien. lib. 5. recop. t. 1. 3. gloſ. 2. n. 43. Azebedo eod. tit. 1. l. 4. 36. Quod eſt verum etiam quoad pœnas anni luctus, ut dicit Boer. ibi n 27. & dicemus in ſimili, n. 50.

44 Quidam caſum hunc extendunt, ut ſufficiat tacitus filiorum conſenſus. Sic Decius conſ. 206. n. 5. & 5. vol. 2. Pariſ. Guald. Roland. n. 13. Menoch. nu. 16. Padil. alleg. n. præc. Ant. Gabr. ead. concl. 1. n. 34. Exemplificant Decius Roland. n. 15. Pariſ. n. 84. Menoch. late probans Ant. Gabr. dicentes hunc tacitum conſenſum eſſe, quando filius nunquam conqueſtus eſt de ſecundis parentis nuptiis, ſed ſemper tacuit. Similiter exemplificant Pariſ. nu. 84. Roland. n. 18. Ant. Gabr. d. concl. 1. n. 36. quando filii valde diligebant vitricum vel novercam: tunc enim tacite ratificant, & approbant matrimonium ſecundum præcedens, quod ſatis eſt ad evitandam hanc pœnam. Ceterum ab his omnibus libentiſſime recedo, & exiſtimo minime ſufficere præſentiam cum taciturnitate: nec eum tacitum conſenſum, qui ex dictis conjecturis elicitur. Quod aperte probat prima ratio, quam n. præc. adduximus ex Sarmiento. Deinde, quod in rebus præjudicium inferentibus, qualis eſt hæc taciturnitas, & non conqueri, non fit ſignum conſenſus. Et ita tenent Ripa, Garron. n. 118. verſ. Sed an ſufficeret, Perez, Azebedo, n. præced. alleg. Qualis vero conſenſus tacitus ſufficiat, dicam n. 51.

45 Exigitur tamen conſenſus omnium filiorum, de quorum ſucceſſione tractatur. Quare ſi aliqui annuant, alii vero renuant, evitabit parens ſecundo conjugatus pœnas, quoad annuentes ſolos, quibus non tenebitur reſervare proprietatem bonorum ex ſubſtantia parentis defuncti acquiſitorum: ſecus tamen erit quoad renuentes. Quia cum de omnium præjudicio tractetur, omnium conſenſus deſideratur: nec conſenſus quorumdam diſſentientibus nocere poteſt. Sic Garronis latius probans, rubr. C. de ſec. nupt. remed. 2. ad evitandas pœnas, in nova edit. n. 121. Perez lib. 5. Ordinam. tit. 1. l. fi. col. antepenult. Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 36.

46 Quod ſi ſuperſtitibus nepotibus filii deceſſerint, ſatis eſſe nepotum conſenſus. Tum, quia ſuorum parentum perſonam repræſentant; ac in ipſorum favorem cedit reſervatio. Tum etiam, quia ſicut ſuperſtitibus nepotibus, nec conſenſum præſtantibus ſecundis nuptiis, incurruntur dictæ pœnæ: ita ipſis conſentientibus vitari debent. Sic tradunt Garron. n. 117. verſ. Sed an id Perez l. fin. fol. 54. verſ. Item tenetur, num. præced. relati, Menoch. conſ. 155. n. 22. & 31. vol. 2.

47 Exigitur vero ut filii vel nepotes ſint puberes, & certiores facti conſentiant. Non enim impuberum conſenſus tanquam in ætate conſilii ignara præſtitus ſufficeret. Sic docent Boerius deciſ. 185. n. 23. Baeza de non melior. fil. c. 10. num. 57. Nec ſufficiet licentia tutoris, atque conſenſus ab ipſo præſtitus. Cum ſit valde præjudicium inferens pupillis, ut late probat Garronis rub. C. de ſec. nupt. in nova edit. remed. 2. contra pœnas ſec. nub. num. 122. verſ. An ſi filii. Quamvis ſufficere tutoris licentiam affirmet relato Bertrando, Ant. Gabr. 3. to. comm. opin. lib. 3. tit. de ſec. nupt. concl. 1. num. 36. Sed poteſt merito dubitari, an deſideretur filios puberes conſentientes ſecundis parentis nuptiis, noſſe jus reſervationis bonorum, quod amittunt; eo conſenſu præſtito? Et pro foro externo videtur id minime deſiderari. Quia ea ignorantia eſt juris, quæ in eo foro minime excuſat, reg. Ignorantia, de reg. jur. in 6. Cum autem ea excuſet in foro conſcientiæ (ut probabo lib. 10. diſp. 32. num. 10.) videtur in eo foro deſiderari ſcientiam hujus juris. Remiſſio enim liberam remittendi voluntatem petit, quam ignorantia tollit. At conſenſus ille in tantum excuſat, in quantum eſt quædam remiſſio juris competentis ipſis filiis. Verum exiſtimo non deſiderari ſcientiam illius juris. Quia ceſſatio hujus pœnæ, dum filii conſentiunt, non innititur tacita remiſſione filiorum: ſed ceſſatione cauſæ, quæ eſt injuria filiis irrogata (ut probavi num. 43.) quæ nullatenus ſcienti ſecundas iniri nuptias, & libere conſentienti infertur.

48 Tandem circa hunc caſum obſervandum eſt, hunc filiorum conſenſum minime eximere a pœnis, quæ non in filiorum favo-

rem